BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 A
33

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 14. c

III
13
D

De Cesare

Duplicato.

CCC
IV
25

Digitized by Google

[illegible]
VI
[illegible]

MARTINI SCHOOCKII
SOPHISTICA
Zuickero-Sociniana.
SIVE,

Ignorantia Danielis Zuickeri Medici Sociniani,

DETECTA

Circa irritam oppugnationem Æternæ & veræ Deitatis

DOMINI JESU CHRISTI

In doctrina Logica de Diſparatis, Petitione Principij, &c.



VITTORIO EMANUELE II IN ROMA

Ex Bibl. Jos. Re[illegible] Imperialis

GRONINGÆ,

Typis VIDUÆ *Edzardi Agricolæ*, Prov.

& Acad. Typog. Ord. 1664.

Digitized by Google

NOBILISSIMO,

Admodum Reverendo, Doctiſſimo, Pientiſſimoque Viro

DN. JOHANNI KUNSCHIO

à Brietenwald, Sereniſſimo, & Potentiſſimo Electori Brandenburgico, DN. DN. DN. FRIDERICO WILHELMO &c. à concionibus & Conſiliis Eccleſiaſticis.

Vir Nobiliſſime, & Reverende,

QUamvis multo plura Revæ. Væ. debeã, ne ſemper malũ nomen ſim, offero libellũ, contra adverſarium æternę Deitatis unici noſtri Salvatoris DN. Jeſu Chriſti ſcriptum. ſcopum omnes probabunt, qui modò ſunt χριςόφοροι, & Chriſtum ex animo diligunt. Quis enim ferat, duci & conſumatori unico ſalutis ſuæ, quem Scri-

ptura pronunciat Deum ante ſecula fuiſſe, in tantum detrahi, ut ad Indigetes, ſeu, Deos adoptivos atque factitios referatur? Homo, cum quo mihi negotium fuit, uſque adeo perfrictæ frontis eſt, ut auſit Orthodoxos omnes idololatriæ inſimulare, quòd eandem venerationem & cultum Deo Filio deferant, quem ipſe contendit ſoli Deo Patri (pro cujus quoque exiſtimatione vindicanda videri vult ſollicitus) tanquam uni, vero, & æterno Deo deberi. Quod tamen omnes, cujuſcunque etiam Sectæ viri (exceptis ſolis Photinianis, eorumque fautoribus) admirentur, pii verò ex animo doleant; in fœderato Belgio non ſolum amicos habet, à quibus molliùs curatur quàm regi Antiocho oculi ſolent, verum etiam patronos ex ordine illorum, qui tales homines & coërcere, &, ſi deprehendantur inemendabiles, pro meritis caſtigare deberent. O tempora! niſi quanto ocyus reſipiſcamus, ob hæc & ſimilia peccata, quæ in cælum magis clamant, quàm Sodomæorum peccata, Deus, cujus longanimitas tòt per annos irritata fuit, hoc noſtrum Belgium viſitabit, atque in ſolitu-

dinem

dinem rediget, ut ut quoque hoc tempore florere videatur, & ſecurum ſit, quòd cum omnibus vicinis pacem colat, & divitiis ſuperabundet. Opuſculo verò huic, (confido Eccleſiæ non fore ingratum) Revæ. Væ. nomen præſcribere volui, quò publice conſtaret, quantum tibi debeam. Præterquam enim quòd infucato & conſtanti amore tot per annos me immerentem proſecutus fuiſti, amplius non quieviſti, quam favorem Sereniſſimi Dn. Electoris Brandenburgici (à quo æſtimaris) in me quoque, qui obſcurus & οὐδανὸς homo ſum, derivaſſes, procurando titulum Hiſtoriographi: Suæ Serenitatis. quem equidem ſplendidiſſimum deputo. Obſtrinxiſti me hac commendatione æternùm, atque, annuerit Deus, poſteritas cognoſcet, quanti Revā. Vā. faciam. Interea excipito benivola fronte hoc σχέδιον, donec, qui maneo debendi reus, exaſciata & limata magis offere licuerit. Quod reliquum, Deum precor, Sereniſſimum Electorem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, Eccleſiæ vere Orthodoxæ, (aut in ipſo aut in nullo Principe præſidium habet) Celſiſſimæ familiæ, atque

ſubditis, qui noctes atque dies pro ipſius ſalute vota nuncupant, diutiſſime præſtet incolumen: ſimul ſanctiſſimis tuis laboribus clementer benedicat, tuumque, in ſancta religionis Orthodoxæ veritate & charitate conſervanda, ſtudium benigne ſecundet, ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ ſalutem, & aulæ, cui inſervis, ornamentum cæleſte. Groningæ Friſiorum, idibus Junij, Anno cIɔ Iɔc LXIV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QVàm graves Eccleſiæ antiquæ Arrius & Sabellius, & quàm blaſphema atq; in Divinam Majeſtatem injurioſa dogmata, admodum pertinaciter tuiti fuerint, nemo ignorare poteſt, niſi qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica plane peregrinus eſt. Vterque tamen jactabat, ſe de divinis myſteriis, non aliter, quàm ipſum Deum, in Scripturis loqui: ac proinde ſeſe non ut Trinitarios (quo odioſo quaſi convitio Orthodoxos notabant) miſcere Philoſophiam cum doctrina Eccleſiæ, ideoque nolle confiteri unam eſſentiam, & tres Perſonas, cum Scriptura Divina hæc vocabula non agnoſcat. Quæ quoniam admodum plauſibilia erant, dici non poteſt, quàm exiguo breviſſimi temporis intervallo, Arrianiſmus totum ferme terrarum orbem occupaverit. Quis enim miretur homines, quos Apoſtolus Petrus ἀστηρίκτους vocat, graviter commotos fuiſſe, & Arrio favorem aurium conceſſiſſe, cum volubili lingua jactaret, quòd Eccleſia de inacceſſibili illa luce Divinitatis, non aliter deberet ſentire, quàm ipſa divinitas, prodiens ex arcana Majeſtatis ſuæ ſede, ſeſe patefecit, neque aliter loqui; ſed linguam Spiritus Sancti ubique imitari & retinere, adeoque, quantum fieri poſſit, ipſa verba totidem ſyllabis, literis, apicibus exprimere? Prætendebat enim, atque non minus ſpecioſe quàm argutè (ut erat διαλεκτικώτατος) urgebat, humanæ mentis imbecillitatem nullo modo ſibi hoc poſſe arrogare, ut de myſteriis, ſupra omnem illius captum infinito intervallo poſitis, ſperet ſe commodius & dexterius loqui poſſe, quàm ipſum Dei Filium, (qui ſolus novit Patrem)

¶ 4 qui

qui nobis quantum de Deo ſcimus & intelligimus, ex arcano ejus ſinu revelavit. Condemnata quidem Arrij doctrina in Synodo Nicæna, atque ipſe tum ex Eccleſia ejectus, tum in exilium pulſus fuit: nihilominus mirum quam profuit tectorium, quo impia ſua dogmata incruſtabat: dum enim jactat ſeſe cum ſacra Scriptura unice ſtatuere, loqui, ſentire, docere, nec Ethnicos & Philoſophicos terminos cum Theologicis permiſcere, longe plures impietati ſuæ ſocios adjunxit, & peſtilentiſſimam hæreſin tandem eo uſque promovit, ut per Synodum Conſtantinopolitanam ab exilio reſtitutus, ſuum dogma publice defenderit, Athanaſio in exilium ad Treviros ejecto. Qui tamen animo non defecit, ſed una cum aliis piis doctoribus hæreſi huic fortiter reſtitit, & contradixit, demonſtravitque Arrium, ejuſque diſcipulos, tantum ſonum intendere, nec dictorum intelligentiam inveſtigare, cum interim non novitas verbi attendenda, ſed virtus Sacramenti intelligenda eſſet Vt igitur nullum violentum diuturnum: ſic quoque falſum diu ſubſiſtere nequit; ſed tandem in ſe ipſum corruere ac evaneſcere cogitur. Quare, & hæc tandem hæreſis, cum ſuis auctoribus prorſus interijt. Quia igitur non amplius hac arte turbare Eccleſiam, hominesq; ſeducere poterat Angelus ille apoſtata, cui nomina mille, mille nocendi artes, à modo interpretandi Scripturas, Arrio, Sabellio, Photino & ſimilibus Hæreticis oppoſito, occaſionem ſumens, pedetentim homines, à Scripturis abduxit; ſacras, myſticas & fidei res in ſpeculationes Philoſophicas commutavit, utque, docti cum indoctis opiniones, ac traditiones humanas, &

ſect-

ſectarentur & amplecterentur, impulit. Sic optime cogitata, interveniente aſtutia Diaboli, peſſime ceciderunt: quippe eò tandem perventum eſt, ut ſepoſitâ Scripturâ, excuſſiſque ex manibus Chriſtianorum libris Sacris, ſolæ traditiones hominum, pro amuſſi & norma fidei haberentur, hiſque plus auctoritatis, quam ipſi divino verbo & literis ſacroſanctis tribueretur. Poſtea, cum Deo *placuiſſet vindices & ſuæ Eccleſiæ, & ſimul ſui verbi, quod eſt* ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *excitare; primò quidem* Petrum Waldum, *dein* Wicleffum, Huſſum, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Farellum, Viretum, Calvinum, *&c. per illos non modò in integrum Scriptura reſtituta, (tandiu ſub modio, papæ ſingularibus artibus, occultata) verùm etiam purior doctrina depurgata fuit à ſcoriis Antichriſtianis, pro vindiciis non modò Dn. Ieſu Chriſti, unici Eccleſiæ ſuæ capitis, verum etiam ſolatio infallibili afflictarum conſcientiarum. Pupugit hoc cum maxime antiquum illum ſerpentem, diabolum: qui ut ad ingenium rediit, ita Photinianiſmum, ex veteribus ſimul, novis, hæreticis, ac perfidis, monſtroſiſque opinionibus, concretum & coacervatum ab Orco revocat, atq; nihil niſi Scripturam crepat, literas, niſi ſacras, poſtulat: uſque adeo, ut cum Poëta loquar, in ſe ſua per veſtigia volvitur atri Dæmonis ars. Verum enimvero ut homicida & mendax eſt ab initio: ſic etiam quando per novos hoſce hæreticos clamat, ſolam Scripturam eſſe attendendam, ſolam ſequendam, audiendam, cum ea loquendum, nihil minus facit, quam quod ſe facere profitetur: imò contrarium potius facit, dum*

novos articulos & hypotheſes fidei Orthodoxæ, adeoque ipſi Scripturæ oppoſitas fingit, verba ſacra obtorto collo torquet, undequaque conquiſitis peregrinis, & ad rem nihil facientibus locis, planos, perſpicuos & certos textus, ambiguos reddit, omnia ἄνω κὴ κάτω verſat, pro libidine abuſivas & tropicas locutiones claris textibus affingit: ad ſummam, nihil aliud quam cothurnum, utrique pedi congruentem, ex ſacra Scriptura facit: & ipſe novo hoc facto denuo ſatis oſtendit, ſe ſui ſimilem, hoc eſt, uſque quaque patrem mendacij eſſe, & non niſi de ſuo, hoc eſt, mendacia in hiſce ſuis organis, novis ſcil. Hæreticis, proloqui. Cum vero in illis, juxta imperſcrutabilia Dei judicia, pro arbitratu ſuo dominetur, ne unquam per hos ſuos diſcipulos ſuccumbere videatur, identidem nova invenit præſidia, ſed, quibus, ſuperioribus ſeculis, ſimiles θεομάχους *inſtruere quoque ſolitus fuit. Etenim cum jam pelluceant artes in detorquendis Scripturæ teſtimoniis, Sophiſticam iis ſociandam eſſe Infernalis veterator monuit, & urgendos quoſdam* Logicorum *Canones, pro exarmandis quaſi* Orthodoxorum *argumentis, & obſcurandis Scripturæ teſtimoniis, quæ ſibi quam præjudicioſa eſſe novit. Cœpit illud agere* Ioannes Crellius *θεόμαχος blaſphemus: cujus veſtigiis inſiſtens* David Zuickerus *natione* Dantiſcanus, *profeſſione* Medicus, *velut aliquis inter* Socinianos Goliathus, *ſomniavit, ſe victoriam contra* Dei *exercitum relaturum, atque Dominum* Ieſum Chriſtum *vera atque æterna* Deitate, *certo exuendum eſſe, ſi ad ravim uſque clamaret,* Diſparatum de diſparato prædicari non poſſe; *Item, Orthodoxos, probaturos*

baturos Dn. Ieſum Chriſtum verum & æternum Deum eſſe, modo, Petere principium, *modò,* Committere circulum: *& conſequenter, habendos eſſe graphicos Sophiſtas; quòd talia arma veterum Sophiſtarum eſſe conſueverint. Æſtimatur quidem pr dolor! homo hic à multis, in maxima fœderati Belgij civitate, imo Megiſtanibus quibuſdam, ibi viventibus, omnibus ad ſcribendum neceſſariis ſubſidiis inſtrui dicitur. A velim boni & ſimplices hi viri, qui aliàs videri volunt Arminium æſtimare, expenderent quodnam hujus fuerit judicium de Cerintho, Arrio, ſimilibuſque Socinanorum Patriarchis. Anno* 1583 *d.* 18. *Aprilis, ſub Præſidio* Johannis Jacobi Grynæi, *S. Literarum in Baſileenſi Academia Profeſſoris publici, tuitus fuit Diſputationem contra Ebionitas,* Jeſu Chriſti Domini noſtri Deitatem negantes: *&* ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe fingentes. *Illi Ipſe ſubjunxit ſequens Epigramma.* PRECATIO AD FILIUM DEUM.

Ne tua contemnant mortales numina, nomen
  Tu defendendum ſuſcipe, Chriſte, tuum.
Blaſphemum domus oppreſſit collapſa Cerinthum,
  Cum peteret nomen ſcommate, Chriſte, tuum.
Exonerata Arrium lætho inteſtina dederunt,
  Cum peteret nomen ſcommate, Chriſte, tuum.
Præmia blaſphemis hæc quondam certa fuerunt,
  Cum peterent nomen ſcommate, Chriſte, tuum.
Aſt nunc multa tuum blaſphemant millia nomen,
  Quin ſimili ſimiles morte perire facis?
An acciſa tibi manus eſt? an gloria quondam
  Grata tibi, curæ deſijt eſſe tibi?
An vero pœnam differs, ut poſtea pœnas,

Ni ſa-

Ni ſapiant, duplici fœnore & ære luant?
Hoc eſt. Ergo iſtam, mortales, ponite mentem:
Ne vos abſumat vindicis ira Dei.

Iac. Armin. Holl.

Quod Epigramma, occurrens pag. 428. in Volumine Diſputationum Theologicarum Iohannis Iacobi Grynæi, excuſo Genevæ anno 1584. hic proponere viſum fuit; quò argui illi poſſint, qui ita tenerè obſervantes ſunt (hoc ſibi perſuadent) Chriſtianæ charitatis, ut nulla ratione aliis permittant, vel ſequius opinari de illis, qui extremo conatu hoc agunt, ut Dominum Ieſum Chriſtum de Throno veræ & æternæ Deitatis præcipitent. Si forte aliquis dicat Epigramma hoc ſcriptum fuiſſe ab Arminio, juvene adhuc, & ſtudioſo, ætate verò provectiorem & Profeſſorem in Academia Leidenſi, ſententiam mutaſſe: is hoc ipſum probare deberet. Ego equidem pro judicio charitatis, perſuaſum mihi habeo, ad ſententiam Photinianorum non acceſſiſſe, atque dogmata illorum rejeciſſe non modò Iohan. Wtenbogart, verum etiam pleroſque ex Arminij diſcipulis, exceptis paucis, quos deinceps per Vorſtium & Epiſcopium contigit longius à lineis τῆς ὀρθοδοξίας abduci. Nec hoc contigit duntaxat vulgaribus ingeniis, atque indoctioribus, ſed doctioribus quoque, imo viris ſummatibus, quos cæteroquin ob ſtupendam eruditionem, univerſa reſp. literaria venerata fuit. Imo, pro dolor! quoque, viro ſui nominis Hugoni Grotio. ſcripta ipſius legenti hoc tam manifeſtum eſt, atque meridie diei lucet. Obiter hoc indicavi, jam anno trigeſimo ſeptimo hujus ſeculi.

culi. Ideo me malum hominem *habendum eſſe, prolatis duabus Grotij epiſtolis, quondam ad τὸν πάνυ Gerardum Voſſium datis, probare ſtuduerunt* Chriſtianus Hartſoecker *&* Philippus à Limborch, *in cœtibus eorum, qui Remonſtrantes dicuntur, Verbi miniſtri, atque editores quarundam Epiſtolarum Eccleſiaſticarum minus prudentes. Boni hi viri laborarunt mihi obeſſe, atque, advocato in teſtem Grotio, calumniæ notam inurere. At nullus mihi æque patrocinari poſſet, quàm ipſe Grotius, certè ἀυ̉τοκατάκριτος, & in utraque, quæ producta fuit, Epiſtola, contra ſemetipſum teſtimonium dicens. Nam in priori, quæ ſcripta fuit Kal. Ianuarij* 1638. *atque comparet pag.* 747. *ita loquitur*: Non tanti autem facio aut Schoockium aut Magiſtrum ejus, ut huic aut illi reſpondendum putem; neq; me pudeat conſentire Socino, ſi quando is in veram veteremque ſententiam incidit, ut ſane fecit in controverſia de Juſtitia per fidem & aliis nonnullis: ſcripſi ſuper his rebus non ita dudum ad D. Senatorem Reigersbergium, qui me, apud Polonum Legatum, traductum à Riveto Socinismi crimine, ad me ſcripſerat. *in altera Epiſtola, ſcripta eodem anno, ſed die non expreſſo pag.* 749. *ſequentia leguntur:* Moſem apertè vitam æternam non promittere, & Chriſti præcepta ipſius præceptis eſſe perfectiora, ſcis eſſe dogma veterum, idq; abundè probaſti. Quod ſi, novū fœdus legerent & intelligerent, ut oportet, reperirent hoc ipſum ſcriptum Matth. v. Hebr. VIII. 6. & alibi,

& fecit

& fecit hoc ipſum nuper his quoque in locis apertum Mileterius. Chriſtum etiam ob id filium Dei dici, quod ex Spiritu ſancto conceptus, id non negat Thomas Aquinas. Et quid aliud ſignificat διὸ Lucæ 1. 35. ut jam taceam etiam ob muneris impoſiti ſanctimoniam, & ob Reſurrectionem idem nomen ſatis apertè ei tribui. *Hæc ipſa pro vindiciis meis non minus ſufficere, quam arguendo Socinianiſmi Grotio quivis videt. Pudeat vero editores harum Epiſtolarum, quod ad proſtituendum Grotium è ſcrinii Voſſianis has literas deprompſerint. Sed mihi inurere laborarunt notam, quòd prima ætate, & judicio nondum firmato, duobus celebribus Theologis, iiſque Orthodoxis, & contra hoſtes æternæ Deitatis Dn. Ieſu Chriſti ad extremum ſpiritum ſtrenue depugnantibus, ſtylum commodaſſem, denudando quadam ulcera non modo Batelirii & Barlai, verum Epiſcopii quoque, & per occaſionem Hugonis Grotii, verum dum me laborant arguere calumniæ, ipſiſſimum Grotium Socinianiſmi convincunt. Laus verò* Deo, *quòd* me ſervarit à laqueo, (*Pſ.* 141. 9.) *quem tum hi homines, tum multi alii* mihi tetenderunt. *Hæc Præfationi huic ſuperaddere debui, quod & mea, & liberorum meorum intereſſet, parentem ipſorum in ſcripto publico non traduci malum virum. Porro opinione ſerius hic adverſus Zuickerum liber prodit. ante ſeſqui annum lucem aſpexiſſet, niſi innumera mihi impedimenta occurriſſent, cladeſque domeſtica, (hanc, evocando ad ſe dilectiſſimam uxorem, inferre placuit Deo, cujus judicia ſemper juſtiſſima ſunt) non*

modò

modo huic ſcripto, ſed & aliis meis commentationibus ſecurim injeciſſet. Interea idem placuit agere Rev. D. Johanni Paſchaſio *SS. Theol. Doctori, cujus eruditas* Exercitationes Theologico-Philoſophicas *de hoc argumento ita commendo; ut confidam meam operam, Eccleſiæ verè Orthodoxæ, neque ingratam, neque inutilem fore. Poſt meſſem ſpicilegium ſupereſſe ſolet. Vtinam vero Deo placeat illis, qui, deſtinato conſilio, adhibitis omnibus ingenii machinis & Sathanæ fallaciis, æternam Deitatem Domini Ieſu Chriſti oppugnant, reſipiſcentiam largiri; illis verò, qui tales diligunt & protegunt, viris cæteroquin haut malis, oculos aperiat, quô cognoſcant, quales ſerpentes in perniciem* Eccleſiæ *& Reip. in ſinu foveant? Annue è cælis Deus. atque ut annuat, tu, mi Lector, mecum eundem precare, ſimul Vale.*

Schegkius

Schegkius Theologus & Philoſophus eximius lib. 15. Demonſtrationum

DEploranda eſt tum inſcitia, tum impudentia quorumdam ſciolorum, qui Dialecticam inutilem Theologo eſſe opinantur. Mihi vero deteſtanda diriſque devovenda videtur, tum inſcitia, tum Gigantea audatia eorum Theologaſtrorum & pluſquam Sophiſtarum, qui vel Philoſophiam impuro ſuo ore vocant Philaſophiam, vel effutiunt; In Theologia duo contradictoria poſſe eſſe ſimul vera: Duos actus ἀντιφατικῶς oppoſitos convenire uni poſſe ſubjecto. Hoc eſt Immutabili veritati bellum inferre, & portam decumanam aperire ad hæreſes, & incautos in præcipitia errorum ducere. Diſſenſio noſtræ ætatis Theologorum melius certè Dialectica quàm Rhetorica arte componeretur.

DISP.

DISPUTATIO LOGICA, DE

DISPARATIS.

Reſp. HENRICO DIDERICH-SONIO, Groningano.

Quum doctrina de Diſparatis, varias, eaſque arduas difficultates circa ſe habeat, illorumque uſum ſibi vindicet non modo Philoſophia, verum etiam aliæ ſuperiores diſciplinæ, ſpeciatim SS. Theoligia, (quam & quidam ambitioſe collutulant, prætextu quorundam Canonum, Diſparata concernentium) operæ pretium facturi videmur, ſi omnia, quæ huc pertinent, aliquanto diligentius excuſſerimus, non tamen quod ad Theſes publice proponendas, violaturi Legem Talariam, quæ prohibebat alienum arvum ingredi. At, cum Diſparatorum ratio ſufficienter intelligi non poſſit, abſque doctrina de Oppoſitis, quibus vulgo accenſentur, in anteceſſum quædam, pertinentia ad Oppoſita in communi conſiderata, proponenda fuerint.

Thesis I.

ANte omnia vero obſervandum eſt, *Oppoſita* conſiderata juxta νόησιν, ſive apprehenſionem

A ſimi-

ſimplicem, pertinere ad illos terminos, qui vulgo diſſentientes, ſeu repugnantes, vocantur, qui deſcribi poſſunt, quòd ſint tales, *quorum unius conceptus formalis, non poteſt includere alterius conceptum ejuſdem generis.* Eoque diſtinctio terminorum latius patet, quàm Oppoſitio. Nam ratio, ſubtiliſſime omnia expendere ſolita, multa ſolet diſtinguere, quæ tamen à parte rei diverſas formalitates non habent. Quare etiam juxta accuratiores Philoſophos, diſtinctio & repugnantia duos diverſitatis modos conſtituunt. *Termini* autem diſſentientes ſunt illi, quorum unus propter diverſam formalitatem vere de altero negari potſt.

II. Diſſentientes hi termini, aliàs dici quoque ſolent *Oppoſiti*, & una voce *Oppoſita*. Ab Ariſtotele paſſim τὰ ἀντικείμενα. A verbo ἀντίκειμαι, quod in Gloſſario quantivis pretij redditur: *Obſto, refragor, officio.* Et Heſychius: Ἀντίκειται, ἐναντίος κεῖται. A Cicerone & Stoicis uſitate vocantur Contraria. Boëthius ad lib. 4. Topicorum Ciceronis: *Quæ Ariſtoteles* (inquit) *oppoſita, id eſt* ἀντικείμενα *vocat: ea Tullius contraria nominat.* Quanquam ipſe Ariſtoteles quoque, vocem Contrarij ſive τοῦ ἐναντίου (per quam ordinariò diſtinctam Oppoſitorum ſpeciem intelligit) frequenter latiſſime accipere conſuevit: nam ſub Contrarijs comprehendit expreſſe Privantia, lib 1. Phyſ. cap. 6. aſſerendo principia rerum naturalium (per illa intelligit formam & priva-

privationem) debere eſſe contraria: item omne illud quod quocunque etiam modo eſt diſſimile. V.C. quando lib. 2. de Anima aſſerit, omne alimentum debere eſſe contrarium, ſeu ἐναντίον illi, quod alitur.

III. Oppoſitio, conſiderata non tam in communi, quàm ex mente Ariſtotelis (quem ducem ſequuntur) haud inconvenienter deſcribi poteſt, quòd ſit: *Pugna duorum, ita inſtituta, ut neutrum cum re alia ſimili ratione pugnare poſſit.* Duorum expreſſe meminit Definitio: ſiquidem Ariſtoteles duobus in locis agens de Oppoſitis, (nempe lib. de Categ. cap. 10. & lib. 5. Metaphyſ. cap. 10.) ultra duo, eadem non extendit, quod maxime immediata illa Oppoſitio videatur eſſe, quæ inter unum & unum intercedit: quam ob cauſſam quoque lib. 5. Topic. cap. 6. ubi uſum Oppoſitorum juxta argumentationem probabilem expendit, illa duntaxat conſiderat, quæ velut Oppoſitorum ſpecies ex mente ejuſdem poſtea enumerabimus. Sed in illis unum uni opponitur.

IV. Atque ut legitima hæc ſit Oppoſitio, queatque ſufficientem pugnam exhibere, conditiones quædam adjungi ſolent, quæ non quidem diſtinctè à Philoſopho proditæ ſunt occaſione Oppoſitorum lib. 1. de Elench. Soph. cap. 5. (prout multi perperam innuunt) ſed quæ convenienter ex capite illo colliguntur. Adeoque Oppoſitio omnis debet fieri 1. τῷ αὐτῷ,

ſive *eidem*, quod accipiendum eſt de eodem ſubjecto ſingulari & incommunicabili. 2. κατ' ἀυτὸ, ſive, *ſecundum idem*, hoc eſt ſecundum eandem partem. 3. πρὸς ἀυτὸ, ſive, *ad idem*, hoc eſt in ordine ad eundem terminum, aut eodem reſpectu. 4. ἐν ἀυτῷ χρόνῳ, ſive, *eodem tempore*.

V. Quadruplex amplius eſt Oppoſitio, quę inter duo ſolummodo intercedit. Expreſſa ſunt Philoſophi verba lib. 5. Metaph. cap. 10. Ἀντικείμενα λέγεται ἀντίφασις, καὶ τἀναντία, καὶ τὰ πρός τι, καὶ στέρησις καὶ ἕξις. *Oppoſita dicuntur Contradictio, Contraria, Quæ ad aliquid, Privatio & habitus.* Similiter lib. de Categ. cap. 10. (ubi tamen ſolummodo ὡς ἐν τῷ τύπῳ *Oppoſitorum rationem explicat*) λέγεται ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς: ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τἀναντία, ἢ ὡς στέρεσις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις. *Oppoſitorum genera quatuor ſunt. Vnum eorum, quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum, quæ adverſa dicuntur: tertium eorum, quæ privantia: quartum eorum, quorum alterum ait aliquid, alterum negat.*

VI. Quanquam vero Philoſopho non fuit propoſitum definire, quænam ex his quatuor acerrimam inter ſe pugnam exerceant, & maxime à ſe invicem diſſentiant; (manifeſto hoc inde patet, quòd ea non enumeret utrobique juxta eundem ordinem) certum tamen eſt, ea, quæ opponuntur ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις, ſive *Contradictoria*, non quidem extenſive, ſed inten-

intenſive maxime oppoſita eſſe; ſiquidem juxta eundem lib. 10. Metaph. cap. 5. ἀντιφάσεως ὐκ μεταξύ. *Contraditionis nullum eſt medium.* Atque ut loquitur lib. 1. Poſt. Anal. cap. 2. ἀντίφασίς ἐστιν ἀντίθεσις ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ᾽ αὑτήν: *Contradictio eſt oppoſitio cujus nullum medium eſt per ſe.* Adeoque procedere debet, quod dicit lib. 6. Topic. cap. 3. κατὰ παντὸς ἢ ἡ κατάφασις ἢ ἡ ἀπόφασις ἀληθεύεται. *De qualibet re vel affirmatio vel negatio vere dicittr.* Et Cic. lib. de Fato: *Ex iis quorum alterum ait quid, alterum negat; neceſſe eſt invito Epicuro, alterum verum eſſe, alterum falſum.* Nam falſum nunquam eſſe poteſt hoc Axioma: *Contradictoriorum unum ſemper eſt verum, alterum falſum.* Uſque adeo, ut ne quidem per Divinam potentiam everti poſſit: nam ut Paulo edicente 2. Cor. 1. vers 19. inter οὐχ καὶ ναί: *Non & etiam*; maxima nec conciliabilis intercedit diſtantia, ita mihi videtur vere Philoſophari Thomas Aquinas 1. p. q. 25. art. 3. quando *ita loquitur*: Eſt autem conſiderandum, quod cum unumquodque agens agat ſibi ſimile, unicuique potentiæ activæ correſpondet poſſibile, ut objectum proprium ſecundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia activa. Sicut potentia calefactiva refertur ut ad proprium ſubjectum, ad eſſe calefactibile. Eſſe autem Divinum, ſuper quod ratio divinę potentię fundatur, eſſe infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, ſed præhabens in ſe totius eſſe perfectionem. Unde

quicquid habere poteſt rationem Entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, quorum reſpectu Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Hoc igitur repugnat rationi poſſibilis abſoluti, quod ſubditur divinæ omnipotentiæ, quod implicat in ſe eſſe & non eſſe ſimul. Hoc enim omni potentiæ non ſubditur, non propter defectum divinæ potentiæ, ſed quia non poteſt habere rationem factibilis neque poſſibilis. Quæcunque igitur contradictionem non implicant, ſub illis poſſibilibus continentur, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Ea verò quæ contradictionem implicant, ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilem rationem. *Hucuſque Thomas Aquinas*: cujus verbis malui uti, quam meis; quod quidam ex doctoribus Pontificijs, qui alias hunc Scholaſticum Doctorem vocant Angelicum, quando ſibi aqua hæret, non dubitent abſolutam Dei potentiam ad Contradictoria (quô ſimul vera evadant) advocare.

VII. Nec quicquam decedit ijs, quæ dicta ſunt de Oppoſitione Contradictoria, ut intenſive maxima, quod illa quoque inveniatur in aliis oppoſitionibus; quaſi aliæ oppoſitiones, proprium oppoſitionis modum addendo, contradictionem intendant. Nam ut rectè vidit Ferrarienſis ad Thomam contra Gentes lib. 4. cap. 14. illud, quod addunt alia Oppoſita Con-

traditioni, non adauget, ſed diminuit oppoſitionem. Cum enim alia oppoſita trahant oppoſitionem ad aliquod genus, procurant repugnantiam limitatam. Adeoque, quæ in nullo omnino genere conveniunt, ut Contradictoria, magis repugnare debent, quàm quæ ſunt in genere aliquo.

VIII. Ad rem quoque non facit, quod non tantū in Contradictoriò oppoſitis, ſed & in Privative oppoſitis, & Contrarijs ſtricte ita dictis, occurrat quædam Negatio. Contradictoria detrahit formam ſubjecto, ſive illius capax ſit, ſive non capax. Privativa negatio ſignificat pariter quoque detractionem formæ à ſubjecto, cæterum hoc ipſum præſupponit eſſe idoneum ad formam illam recipiendam. Contraria vero (à Ramæis vocari ſolent Adverſa) ut negationem ſolummodo implicitam habent, ita per eam ſic ſubjecto forma detrahitur, ut eidem forma contraria contingat.

IX. Quod vero Ariſtoteles termino *τῶν ἀντικειμένων* modo late, modo ſtricte uſus fuerit, atque eodem modo ſibi non conſtet circa terminum *ἀντιφάσεως*, ſeu *contradictionis*: Juxta Ariſtotelem eundem dicere poſſumus, quod utraque hæc Enunciatio ſit vera: *Omnis Contradictio dividit verum à falſo*: Item, *Non omnis Contradictio dividit verum à falſo.* Illa enim vera eſt de Contradictione ſpecialiter & ſtricte accepta, ex lib. 1. Poſt. Analyt. cap. 2. & lib. de Interpr.

cap. 5. Hæc vero procedere debet de Contradictione, hoc eſt, oppoſitione late accepta, juxta ea, quæ occurrunt d. l. de Interp. cap. 4.

X. Ut omnes modos Oppoſitionis proprie ſic dictæ, ſive Ariſtotelicæ, (quæ ſcil. inter Unum & Unum intercedit) diſtincte conſideremus, non patitur præſentis inſtituti ratio; Interim in anteceſſum, in gratiam Diſparatorum, quæ poſtea prolixius conſiderabimus, obſervetur, has conditiones, τῷ ἀυτῷ, καὶ ἀυτὸ, πρὸς ἀυτό, ϗ ἐν ἀυτῷ χρόνῳ: *Eidem, ſecundum idem, ad idem*, & *eodem tempore*; reſtringi debere ad quatuor modos Oppoſitionis jam antea enumeratos, adeoque non debere præciſe urgeri circa Diſparata, quæ vere Oppoſita agnoſci non poſſunt, niſi terminum Oppoſitionis latius accipias, quam factum fuit ab Ariſtotele.

XI. Ad quæ Diſparata priuſquam accedimus, diſtinguere ab illis convenit Diverſa, cum quibus aliàs confundi ſolent. Atque initio notandum terminum hunc Ariſtoteli quoque notum, trifariam accipi conſueviſſe. *Primo* omnia illa ſunt diverſa, quæ non ſunt idem. Quomodo dicit Philoſophus lib. 5. Metaphyſ. cap. 5. Ἕτερα δὲ λέγεται, ὧν ἢ τὰ εἴδη πλείω, ἢ ἡ ὕλη, ἢ ὁ λόγος τῆς ὐσίας, καὶ ὅλως ἀντικειμένως τῷ ταὐτῷ λέγεται τὸ ἕτερον. *Diverſa dicuntur ea, quorum aut ſpecies plures ſunt, aut materia, aut ratio ſubſtantiæ; omninoque diverſum oppoſito modo atque idem dicitur.* Hoc vult dicere, ita late patere τὰ

ἕτερα,

ἕτερα, ut omnia illa agnoſci debeant Diverſa eſſe, quæ non ſunt idem. Eoque, ut oppoſitorum oppoſita eſt ratio, tot modis dicitur aliquid Diverſum, quot modis conſuevit dici Idem. Quos cum præ aliis diſtinĉte exhibuerit Armandus de Bello Viſu Tract. 2. cap. 206. malo ipſius, quàm meis *verbis uti*: Quot modis (*inquit*) dicitur Idem, tot modis dicitur diverſum: & quot modis ſunt aliqua eadem, tot modis aliqua ſunt diverſa. Dicitur enim res aliqua diverſa per accidens, & aliqua per ſe. Unde Philoſophus de hoc non multum in 5. Metaph. fuit proſecutus. Dicuntur enim aliquà diverſa numero, & hæc ſunt quæ differunt ſecundum materiam, ut duo invidua ejuſdem ſpeciei, ut Socrates & Petrus: aliqua ſecundum ſpeciem, hoc autem contingit 5. modis ut patet 5. Metaph. primus modus eſt, quando duæ ſpecies ejuſdem generis generaliſſimi, licet non proximi, nec ex oppoſito dividuntur, ut ſcientia & albedo. Secundus eſt, quando ſunt ejuſdem generis, & dividuntur contra ſe invicem, ſive ſint contraria, ſive non, ut bipes & quadrupes. Tertius, quando in ſua ſubſtantia habent contrarietatem, utpote quod dividuntur contrariis differentijs, & hoc ſive ipſa ſint directe contraria, ut albedo, & nigredo: ſive non, ut homo & aſinus. Quartus modus eſt, quando ſimul duæ ſpecies ſunt in aliquo genere, ut homo & equus ſub animali. Quintus modus eſt,

 quando

quando aliqua accidentia in eodem ſubjecto ſunt, & tamen differunt ab invicem: talia enim neceſſe eſt ſpecie differre, &c. Aliqua vero dicuntur diverſa genere, vel ſub diverſis generibus, ut ſubſtantia & quantitas. Aliqua etiam dicuntur diverſa analogo, ſecundum quod aliqua ſub diverſis analogis continentur, & ſecundum quod eſt multiplex analogum. *Hactenus Armandus de Bello Viſu.*

XII. *Secundo* diverſum ab Ariſtotele opponitur *differenti* lib. 10 Metaphyſ. cap. 8. eſt vero διαφορὰ ἐναντίωσις, ſive *contrarietas*, ut loquitur Ariſt. ib. ſed quod & hic occurrat ambiguitas quædam, ex re fuerit iterum audire eundem Armandum: *qui porro ita loquitur l. d. cap.* 207. Differens ſumi poteſt dupliciter. Uno modo largè: & ſic non diſtinctio inter Differens & Diverſum: & ſic dicuntur illa diverſa & differentia, quæ in nullo conveniunt, nec aliquo modo differunt in ſe ipſis. Alio modo ſumitur differre propriè, & ſic dicuntur aliqua differre, quæ in aliquo uno communicant, ſive illud unum ſit unum numero: ut Socrates ſedens differt à Socrate non ſedente: ſive unum ſpecie, ut Socrates & Plato differunt ſub homine: ſive unum genere, ſicut homo & aſinus differunt ſub animali. Et ſic accipiendo differens omne differens eſt diverſum: ſed non omne diverſum eſt differens: quia differens addit ſupra diverſum aliquo modo differre. *Hæc iterum ille.* Adeoque,

juxta hanc alteram Diverſi ſignificationem, ea debeant eſſe Diverſa, quæ cum in nullo genere conveniant, ſub quo oppoſitis differentijs dividantur, ſe totis differre dicuntur. Taliter diverſa ſunt, Deus & Creatura.

XIII. Tertiam ſignificationem, antiquis ignotam, ſuperaddidit vir cæteroquin ingenioſus Petrus Ramus: ſiquidem lib. 1. Dialect. cap. 12. ut ea refert ad argumenta diſſentanea, ſic deſcribit: Quod ſint *diſſ ntanea, quæ ſola ratione diſſentiunt.* Adeoque diverſitas debuerit intercedere inter illa quæ non quidem realiter, ſed ratione ſolummodo diſtinguuntur: quod tamen aliter, quam communiter fieri ſolet à Metaphyſicis, Rami admirationes explicant: ita enim Snellius ad d. l. *Sola* (inquit) *ratione diſſentire eſt ſimpliciſſime diſſentire, & tantum ratione aliqua perſonæ aut rei (cujus perſonæ vel rei reſpectu, dum ipſis attribui non poſſunt, pugnant diverſa) non infeſta rerum ac pugnante natura: quamvis enim ſi t diſſentanea, tamen aliquando conſentanea eſſe poſſunt, & uni eidemque attribui, ad idem, ſecundum idem, & eodem tempore.*

XIV. Circa hæc Diverſa, ipſe Ramus ſibi non potuerit ſatisfacere, ſi credimus illius diſcipulis. Ita enim expreſſe Beurhuſius: *Ramus nunquam ſibi in diverſis ſatisfacere potuit.* Et Audomarus Talæus ipſius Rami auditor: *Diverſa* &c. *uſum habent longe frequentiſſimum: tamen adhuc non ſatis explicatū & diſtinctum.* Snellius hæc addit l. d.

Diverſa

Diverſa autem aliquando in diſſimilibus poſuerat au-ctor, ſed re accuratius trutinata, diſcrimen manife-ſtum demum obſervavit, ideoque ab illis ſeparavit, no-vamque diſſentaneorum ex his ſpeciem conſtituit; quod illic diſſimilis rerum comparatio ſit, hic autem ſimplex & abſoluta duorum, non quoad rei ipſius naturam, ſed tantum quoad rationem, hoc eſt uſum, ſeu tra-ctationem, diſſenſio.

XV. Dubium quoque admodum eſt, quo uſque extendi debeat circa *diverſa*, illud *ratio-ne differre*: quod ſi ego recte percipio mentem Rami & aſſeclarum ejuſdem, Diverſa nihil a-liud fuerint, quàm adjuncta & effecta quædam contingentia, quæ de aliquo ſubjecto ita con-tingenter negantur, ut tamen in eodem ſub-jecto coire poſſint: adeoque ratione diſſentire reſpectu diverſorum nihil aliud fuerit, quàm accidens aliquod reſpectu loci, temporis, aut alterius alicujus qualitatis, &c. de certo deter-minato aliquo ſubjecto actu non affirmari, de quo tamen, quod cum eo conſentire poſſit, per naturam affirmari aptum ſit. Eoque volunt at-tendi particulas in Enunciatione occurrentes: *Non hoc, ſed illud*: *Quanquam, tamen*: ſimileſ-que. Ut exempli loco ſervire poſſit hoc Pauli dictum, 2. Cor. 4. vers 16. *Etſi externus homo noſter corrumpitur, internus tamen renovatur in dies.* Et illud Ciceronis Phil. 3. *Atque ille Tarquinius, quem majores noſtri non tulerunt, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus habitus eſt & dictus.* ſimiliter il-lud Horatij:

Cæcum,

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Item ſimile Martialis:

Diligeris populo, non propter præmia Cæſar:
Propter te populus præmia Cæſar habet.

XVI Ramæi de oppoſitione & pugna horum *diverſorum*, uſque adeo diffidunt, ut qui inter illos agnoſci debent præ alijs judicioſi, ſtatuant eorum ſolum uſum eſſe in Axiomate, ſeu Enunciatione: neutiquam vero in Syllogiſmo. Nec immerito. *Diverſa* enim duntaxat contingenter diſſentiunt, quum Syllogiſmi conſequentia neceſſaria eſſe debeat: atque ſi quæ illatio juxta ea videatur procedere, ea non tam juxta rationem *Diverſorum*, quam juxta Exemplum, & conſequentiam exemplarem æſtimari debet. Adeo, ut jure merito cenſu illorum, quæ vere & formaliter Oppoſita ſunt habenda, hæc *Diverſa* exterminari debeant.

XVII. *Diſparata*, in quorum gratiam hęc præmitti debuerunt, ratione termini multis inſolentia jure merito habeantur. Primus Ramus ita quædam Oppoſita indigetaſſe puratur. quàm vere, mox liquebit, ubi illa primo ratione Etymologiæ conſideraverimus. Nomen autem *Diſparata* habent à verbo *Diſparandi*, ignoto nec Ciceroni, nec Plauto. hic Rud. Prologo. agens de Jove:

Is nos per gentes alium alia diſparat.

Gell. lib. 11. cap. 11. *Tot ſententias in eandem rem*

rem, *quaſi aliud atque aliud diceret*, *diſparavit*.

XVIII. Dialectice, ad certum Oppoſitionis modum deſignandum; primus hac voce uſus Cicero lib. 1. de Invent. *Diſparatum id*, (inquit) *quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur: hoc modo, ſapere, non ſapere.* Atque ſic Diſparata coinciderent cum Contradictoriis. Aliter Diſparata ut oppoſita conſideravit Boëthius lib. 1. de Hypoth. Syll. *Diſparata* (inquit) *ſunt, quæ tantum à ſe diverſa ſunt, nulla contrarietate pugnantia, ut veſtis, ignis.* Boëthium Melanchton ſequitur: *Diſparata* (inquit) *ſunt ſpecies diverſæ. Quæ etiamſi non habent contrariam inter ſe actionem: tamen in unam rem confundi non poſſunt, ut homo & aſinus.* Juxta Ramum vero lib. 1. Dial. cap. 13. *Diſparata ſunt Oppoſita, quorum unum multis pariter opponitur.*

XIX. Nam hoc intereſt inter Diſparata & Ariſtotelis Oppoſita, quod juxta hæc unum uni opponatur, cum ex lege Diſparatorum unum pluribus eodem modo opponatur. Talia oppoſita quoque agnoviſſe videtur Suidas. Ita enim legas apud illum in voce Ἐναντία juxta Interpretem: *Definiuntur* ἐναντία, *id eſt, contraria, quæ à ſe invicem multum deſcrepant, aut quæ ſe mutuo tollunt. Quibus definitionibus ſi quis nitatur, demonſtrare non poteſt, unum uni contrarium eſſe. Siquidem multa, licet multum inter ſe diſcrepantia, non modo in eodem genere, ut flavum & pallidum ſive luteum, opponuntur albo, ſeque mutuo tollunt; ſed etiam*

etiam in diverſis generibus idem licet oſtendere. Nam ut unum uni, bina tantum opponuntur. Adeoque ſunt quædam πολὺ διεςῶτα (ſic enim verba Græca habent) quæ tamen non ſunt duo: ſed opponuntur, ut unum & plura.

XX. Primus Rudolphus Agricola, decus illud hujus Provinciæ, ex profeſſo inſtituit hoc Oppoſitorum genus diſtinctè à quatuor vulgaribus Oppoſitis, juxta Ariſtotelem vulgo conſiderare ſolitis, explicare; quod fatetur ipſe Audomarus Talæus Petri Rami auditor & amicus. Sic enim loquitur in Notis ad dictum Rami locum: *Hanc differentiam* (ſcil. Diſparatorum & Contrariorum) *Rodolphus Agricola docuit lib.* 1. *de Inventione*; *quam* P. *Ramus ſequutus eſt*; *ſicut æmulatus in hac arte in primis induſtriam illius viri: quem in ſtudio Logico, poſt antiquam illam Socraticorum Logicorum ſcholam (in qua non minus uſus artis, quàm ſcientia tractabatur) omnibus poſtea natis Logicis anteponere ſolitus eſt; dicereque palam, ab uno Agricola verum Germanæ Logicæ ſtudium in Germania primum, tum per ejus ſectatores & æmulos, toto terrarum orbe excitatum eſſe. Percepit autem Pariſienſis Academia primo fructum illum adventu Iacobi Omphaly, Bartholomæi Latomi: ſed in primis Ioannis Sturmij; à quo Logicæ artis utilitas, plenius & uberius eſt expoſita.*

XXI. Nec tamen Agricola hæc agnovit, ut diſparata duntaxat, verum etiam ſub alio nomine, ſiquidem lib. 1. Dialect. cap. 4. & 27.

nunc

nunc *Diſparata*, (quam vulgarem appellationem notat) nunc *diſtantia*, nunc *differentia* vocat. Atque *differentia illi ſunt quæ ſic repugnant, ut non certo ductu unum contra unum dirigatur, ſed ſatis eſt ſubſtantiis inter ſe eſſe dimota, ut Cicero & Cato.*

XXII. Ipſe quoque Ramus ſibi non conſenſit, ſed, ſecutus forte Trapezuntium in Dialect. initio vocavit Repugnantia, quæ Gerardus Noviomagus in Notis ad Trapezuntium evulgatis jam anno 1536. ita definit: *Repugnantia ſunt, quæ nec cohærere, nec eidem convenire poſſunt. A contrariis differunt, quod horum uni duntaxat adverſum eſt, hic plura uni, aut unum pluribus, ut ebrietas continentiæ ſtudio vigiliis, labori repugnat.* Cur reiecerit vocem Repugnantium & ſubſtituerit Diſparata, hanc rationem reddit Talæus: *Poſtea animadvertit* (inquit) *repugnantiæ verbum eſſe majoris cujuſdam oppoſitionis, quam hic ſignificaretur, ut Philipp. 2. Qui tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profecto ſapis.*

XXIII. Ariſtoteles nullibi hoc Oppoſitorum genus conſideravit: ſilentium quoque de illo eſt apud ejuſdem Commentatores, ſpeciatim Græcos: qui juxta Ariſtotelem quoque præcepta Dialectica tradiderunt, illius meminiſſe non ſolent. Haut pauci tuto Logica exterminari poſſe opinantur: quibus quantum deferti debeat, ex ſubſequentibus liquere poterit.

XXIV. Quo ergo Diſparatorum ratio pateat, ante omnia obſervandum eſt, ea non eſſe oppo-

oppoſita primo, proprie, & formaliter ita di-ƈta. Quod ut pateat, initio ſubmovere convenit falſum principium, quo multi hic nituntur, quodque adoptavit quoque Crellius Socinianus lib. 2. de Uno Deo, ſect. 2. cap. 7. nempe, omnia illa, *quæ tacitam in ſe contradictionem* (*quæ oppoſitio eſt maxima & irreconciliabilis*) *continent*, *diſparata eſſe*. Hoc enim ſi admittatur, omnia diverſa debuerint exterminari: nam debebunt vel unum eſſe, vel oppoſita. At ea non eſſe oppoſita, jam antea patuit: licet unumquodque diverſum includat tacitam contradictionem alterius diverſi. Præterea nulla poterit dari unio ſubſtantialis: Mixta non poterunt conſtitui ex quatuor Elementis: nec homo componi ex anima & corpore: Cum terreum aërei, igneum aquei, anima rationalis ut immaterialis & incorruptibilis, corporis ut materialis & corruptibilis contradictionem includat. Denique ἑτερογενῆ (quæ contradictionem involvere certiſſimum eſt) non poterunt de ſe invicem prædicari in concreto atque paronymice: & tamen hæc prædicatio, ac ſimiles ſunt veræ; *corpus eſt longum*; *album eſt dulce*, *homo eſt niger*, &c. Nam dubitare non licet, quin corpus qua corpus, includat contradictionem longi qua longi; item album qua album, dulcis qua dulcis; nec non homo qua homo, nigri qua nigri, &c.

XXV. Adoque, ut hæc omnia quàm liquido pateant, & quid de Diſparatorum quaſi

oppoſitione cenſendum ſit, dijudicari queat, accidentium & ſubſtantiarum differentia ante omnia attendi debet, atque accidentia iterum conſiderari vel in abſtracto, vel in concreto: prout vulgo alia occaſione (videatur vel ſolus Bonaventura lib. 1. Sentent. diſt. 33. qu. 3.) Scholaſtici agentes de Prædicatione, illam, ut conſiderandam à parte accidentium, diſtinguunt in prædicationem per identitatem, & prædicationem per inhærentiam. Illa inſtituitur in abſtracto, atque ratione formæ, non vero ſuppoſiti; ut V. C. veritas eſt bonitas. Hæc vero in concretione & ratione ſuppoſiti; ut, albus eſt Philoſophus. Hæc diſtinctio nobis ſerviet, terminique circa illam recepti, uſui proxime erunt.

XXVI. Ergo, ſi conſiderentur accidentia juxta identitatem, & quidem tanquam ἕτερα τῷ εἴδει, ut loquitur Philoſophus loco jam antea adducto, ſive lib. 10. Metaph. non poſſunt inter ſe cenſeri verè oppoſita eſſe: ſive ſub eodem genere proximo, ſive remoto contineantur: quandoquidem quæ eidem tertio attribui poſſunt, oppoſita non eſſe, abunde ex ſuperioribus patet. Ita ſapientia, pietas, & opulentia, quanquam ſpecie diverſa ſunt, & admodùm diſtinctas formalitates habent, reſpectu tamen unius ejuſdemque ſubjecti (V. C. Salomonis) amice inter ſe conſentiunt, nec pugnam aliquam inter ſe exercent.

XXVII Li-

XXVII. Licet tamen hæc ipſa maneant perpetuo diverſa, nec poſſint cenſeri ratione formalitatis idem eſſe. Adeoque non eſt vera hæc prædicatio, ſapientia eſt pietas: aut pietas eſt opulentia: Nec in concreto hæc accidentia de ſe invicem prædicari poſſunt, niſi ratione ejuſdem ſuppoſiti, in quo ſimul inveniantur; quod ſi cogitetur idem Rex Salomon eſſe, vera futura eſt hæc prædicatio, pius eſt dives.

XXVIII. Quod ſi vero inter accidentia intercedat contrarietas proprie dicta, ex mente Ariſtotelis intelligenda, non minus in concreto, quam in abſtracto accidentia inter ſe pugnant. Adeoque haut magis dicere poſſum, calidus eſt frigidus; quam calor eſt frigus. Ratio eſt hæc, quod illa, ut vere oppoſita, non poſſint eidem tertio attribui. Quod cum contingat ratione accidentium, ut diverſorum, manifeſto liquet, in diverſis non eſſe conſiderandam pugnam, ut in contrariis, aliiſque oppoſitis.

XXIX. Nec putandum eſt, contraria mediata, ratione ſui medij, in definito ſubjecto, per extremorum realem participationem poſſe degenerare in Diſparata, pro ut, poſt Ramum ipſius Sectatores perſuaſum vellent. Nam, non opponuntur ex æquo aut ſibi invicem, aut etiam extremis, ſi forte contigerit hæc media plura eſſe. Adeoque non admitto hoc Rami exemplum, quod pro explicatione ſuorum Diſparatorum proponit: *Viride* (inquit)

cineraceum, rubrum, media ſunt inter album & nigrum, quæ ſingula extremis, & inter ſe diſparata ſunt. Neque enim hi intermedij colores, ut vulgo quoque pictorum notum eſt, aut ex æquo utrumque colorem extremum, album ſcil. & nigrum participant; aut etiam à ſe invicem diſtant: quod tamen Ramus à ſuis Diſparatis exigit.

XXX. Poſt accidentia, ſuccedunt ſubſtantiæ, in quibus diſparatam oppoſitionem primario debere attendi exiſtimant, qui ex Rami aſſeclis judicio præ aliis valuerunt. Inde Guberlethus lib. 1. Dialect. cap. 13. *Subſtantia inter ſe præcipue diſparantur.* Sed, neque in omnibus ſubſtantiis feliciter hanc diſparatam oppoſitionem procedere poſſe, docebimus, ubi primo oſtenderimus quot modis Ramiſtæ putent hunc Oppoſitionis modum in ſubſtantias cadere.

XXXI. Præ aliis diſtinctè hoc docet Chriſtianus Matthias lib. 1. Syſtematis Logici ſecundum Rami filum propoſit: lib. 1. cap. 12. *Diſparata* (inquit) *quæ ſunt ſubſtantiæ, ſunt vel primæ, ut ſunt omnes perſonæ & individua; vel ſecundæ, ut genera & ſpecies.* &c. & poſtea: *Triplicia ſunt Entia, quæ ad claſſem Diſparatorum referri poſſunt. Ea, quæ differunt genere: ut Deus & homo: Deus enim ſub nullo genere eſt 2. Ea, quæ oriuntur ex diviſione ejuſdem generis proximi: ut homo & beſtia. 3. Quæ propinquis & remotioribus differunt generibus: ut panis corpus Chriſti in S. Eucbariſtia; item vinum & ſanguis Chriſti*

Chriſti. Sed, quantum ad primi ordinis exemplũ Deus & homo, ut differunt ſe totis; ſic ſunt Diverſa, juxta illa, quæ dicta ſunt, Theſi XII. adeoque non neceſſum fuerit in horum gratiam admittere Diſparatorum oppoſitionem. Quantum ad illa, quæ ſecundo loco proponuntur, ea æque commode ad Diverſa Ariſtotelica referri poſſunt, ut & Individua ejuſdem ſpeciet: prout oſtenſum eſt Th. XI. ut neque hæc militent pro Diſparatis, tanquam oppoſitis veris, à Ramo pro ſupplendo quaſi Ariſtotele excogitatis. Quid vero exiſtimari debeat, de tertij ordinis exemplo ſuo loco expendemus.

XXXII. Quanquam Rami ſectatores non diſtinguunt inter Subſtantias, ut illas præcipue docent admittere Oppoſitionem quaſi Diſparatorum: diſtinctio tamen neceſſaria eſt. Eoque ante omnia notetur, quaſdam ſubſtantias ſe vel habere complete, vel incomplete. Illæ ſi ſint ſingulares, cenſeri debent ſuppoſita: ſi vero concipiantur univerſales, habent ſe vel tanquam genera vel ſpecies: Cum ratio generis & ſpeciei accurate loquendo non cadat in entia incompleta.

XXXIII. Incompletæ ſubſtantiæ (late ſumitur in completum) vel conſiderari poſſunt ut principia, vel ut naturæ. Principia ſubſtantialia ſeorſum conſiderata, quanquã ſunt diverſa, aut, ut Ariſtoteles ſubinde loquitur, contraria, (voce late accepta) non quidem de ſe invicem præ-

 dica-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dicari poſſunt, coire tamen poſſunt ad conſtituendum tertium, atque Paronymice utrumque vere & proprie de illo prædicari poteſt. V. C. Corpus & anima ſunt duo principia hominis, naturæ admodum diverſæ: nam corpus eſt extenſum & corruptibile: anima vero inextenſa & incorruptibilis: ex duabus tamen illis ſubſtantiis incompletis, velut duobus principiis eſſentialibus conſtituitur homo: de quo pariter quoque dici poteſt, quod ſit corporeus, & animatus. Licet non liceat dicere homo eſt corpus, aut homo eſt anima, quum pars de toto non poſſit prædicari in caſu recto & Synonymice.

XXXIV. Eadem *propemodum* ratio eſt naturarum, licet in ſe diverſarum, imo ſe totis diſtinctarum, modo uniri poſſint ὑποστατικῶς: quæ, ratione habita ſuppoſiti, ſeu perſonæ, cum in concreto & de ſuppoſito & de ſe invicem æqualiter prædicari poſſint, neque merentur qua talia haberi oppoſita, neque ſpeciatim Diſparata.

XXXV. Quod patet in Myſterio Incarnationis τοῦ λόγου. Nam præſuppoſita veritate Unionis perſonalis duarum naturarum in Chriſto, quam ex ſola Scriptura cognoſcimus, nihil vetat, quo minus de Chriſto dicatur, & quod homo ſit, & quod Deus: & quidem Univoce atque in quid.

XXXVI. Non vero abſque ratione, modo dicebamus hanc unionem naturarum hypoſtaticam

cam *propemodum* duntaxat reſpondere unioni partium eſſentialium, ad conſtitutionem totius Eſſentialis deſtinatarum. Licet enim Divina & humana natura analogice vocari queant partes Chriſti Θεανθρώπου; ſunt tamen naturæ qua tales completæ (inde alij ſolummodo vocant apparenter *incompletas ſubſtantias*) quā vis communi τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως, ſeu ſubſiſtentia gaudeant in perſona Chriſti; adeo, ut homo & Deus de Chriſto prædicentur non mere *Paronymice*, (diſtinguere oportet inter prædicationem Paronymicam, ſtricte & ex mente Ariſtotelis conſideratam, eamque latius acceptam) ſed & *Vnivoce* atque *inquid*, adeoque *Eſſentialiter*.

XXXVII. Hinc iterum conſequens eſt (quicquid quibuſdam quoque viſum fuerit) Diſparatam oppoſitionem, non eſſe admittendam propter ἐνσάρκωσιν Filij Dei: quum cæteroquin, ut jam antea patuit, Deus & homo convenientius agnoſcantur ut Diverſa, quàm ut Diſparata, ex mente Rami intelligenda. Convenienter Guberlethus l. d. *Diſputatum eſt* (inquit) *quum de Chriſto dicitur: Deus eſt homo, an ſit enunciatio diſparatorum? Recte negatur, quia verus ſenſus eſt: Deus, videlicet ſecunda perſona Dietatis*, λόγος *aſſumpſit humanam naturam*, &c. *Si prædicaretur diſparatum de diſparato, Deus & homo ibi eſſent duo* ὑφιστάμενα, *quod falſum.*

XXXVIII. Tantum de ſubſtantijs incompletis partim vere, partim apparenter. Quan-

tum ad ſubſtantias complete ſe habentes, non ſunt quoque unius ejuſdemque ordinis. Nam, licet hoc complementum, perfectionem arguens, attendi debeat ratione propriæ ſubſiſtentiæ: quædam tamen ſubſtantiæ inveniuntur, quæ, quanquam propriam ſubſiſtentiam habent, aptæ tamen ſunt cum aliis coire, atque concurrere ad conſtitutionem alicujus tertij. Nam V.C. in plantis multæ inveniuntur, quæ ratione inſitionis idoneæ ſunt ſubſtantialiter ita inter ſe uniri, ut conſtituant plantam aliquam, quæ vere dici poſſit utrumque. Quomodo (ſæpe hoc fit) ſi ſpinæ inſerantur & prunus & pirus, ipſa ſpina non minus dici poterit prunus, quam pirus: licet alias diverſæ ſint hæ ſpecies. Cum enim inter naturas non occurrat repugnantia, aut, ut loqui ſolent, quædam ἀντιπάθεια, quâ pirus, qua prunus, depoſita quadantenus ſua ſubſiſtentia, ita ſpinæ inſeri poſſunt, ut hinc reſultet tum unio, tum communio. In animalibus quoque ſimilia exempla inveniuntur. Licet enim aut ex leone & equo, aut ex ove & lupo, animal perfectum vix videatur naſci poſſe: per experientiam tamen conſtat, ex leone & pardo, equo & aſino, lupo & cane, animalia ſufficienti perfectione prædita poſſe pronaſci.

XXXIX. Adeoque, ubi concurrit unio ſubſtantiarum alias completarum, non poteſt cenſeri eſſe oppoſitio. Si enim V.C. vere oppoſita

poſita eſſent prunus & ſpina, non poſſent per modum inſitionis coire: nec unquam ex equo & aſino naſceretur mulus, ſi vera inter illos intercederet oppoſitio.

XL. Ergo ut neque inter ſubſtantias completas ſimpliciter dici poteſt intercedere *oppoſitio diſparata*; ita illa intervenire debuerit ex mente illorum, qui Ramo favent, inter illa, quæ non modo ſint ſubſtantiæ completæ, ſed quæ ſimul unionem & communionem reſpuunt. Adeoque apud Virgilium Ecloga tertia, notatur vulgo exemplum reſponſionis à Diſparatis deſumptæ,

Dic mihi Damœta cujum pecus? an Melibœi?
Non: verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

Sed Damœta & Ægon, aut, quod eodem redit, Titius ac Sempronius æque convenienter cenſeri poſſunt Diverſa, (ex mente ſcil. Ariſtotelis) atque Diſparata. Atque niſi Ramus, & quidam alii, veſano novaturiendi œſtro perciti fuiſſent, Diſparata (quæ tamen Cicero, ut patuit, aliter quam Ramus intellexit) tuto ignorari potuiſſe ut.

XLI. Mirum vero quam ipſi Rami admiratores in exemplis, quæ pro illuſtratione Diſparatorum adferunt, ſæpe hæreant, atque alium modum Oppoſitionis, quam Diſparatorum, ſubinde admittant, ut ſua diſparata invenire poſſint. Beurhuſius exemplis hunc locum illuſtraturus, *hoc inter alia habet*: Inſtit. Imp. lib. 2.

Tit. 1. eſt diſtincttio (inquit) quædam diſparatorum, quæ ſint feræ & non feræ naturæ. Apium quoque fera natura eſt, ait Imp. Pavonum quoque & columbarum & Gallinarum autem & anſerum non eſt fera natura. Species ipſæ ſunt diſparatæ: alioquin ferum, & manſuetum *adverſa*; ferum non ferum, *contradicentia* ſunt. *Hæc ille.* Ergo diſparata debebunt agnoſci, apes, pavones, columbæ & gallinæ. Sed cum tria priora animalia ſub feris animalibus, tanquam genere proximo inveniantur, cur non juxta ſuperiora cenſeri poterunt diverſa? Item apes & anſeres pariter Diverſa, quod licet non conveniant in genere proximo, conſentiant tamen in remotiori, avium ſcilicet? Ferum & manſuetum vult eſſe adverſa. Sed cur non æque diſparata ſint atque viride & cæruleum: quæ Ramus ut diſparata agnoſcit? Nam ferū non tantum opponitur illi, quod manſuetum jam eſt, ſed & quod manſueſcere poteſt. Quomodo columbæ V.C. agnoſcuntur triplices, primo feræ quæ non manſueſcunt, ſecundo feræ ſed aptæ manſueſcere, & tertio domeſticæ, ſive manſuetę.

XLII. Ramus ipſe per exempla ſua Diſparata declaraturus, hæc addit: *Sic liberalitas & avaritia inter ſe diſparantur.* Ad quæ ſic commentatur Talæus: *Secundum exemplum* (inquit) *ſumitur ex 1. Eth. Ariſtotelis ad Nicomachum filium, cap. 8. ubi hæc contraria vocantur ab Ariſtotele, ſignificatione quadam liberiore & minùs diſtincta: ſed tamen interim*

interim hoc theorema ethicum proponitur, Extrema *videlicet magis inter ſe oppoſita eſſe: quam ad medium collocata, qua ratione, effuſio & avaritia magis diſparantur; quàm effuſio & liberalitas, vel avaritia & liberalitas.* Arguere ſcil. vult Talæus Ariſtotelem, quo ſarta tecta Ramo ſuo exiſtimatio maneat. Sed Ariſtoteli patrocinatur Snellius, alias licet parum quin Ῥαμομανὴς. Hæc enim offendas apud ipſum, commentantem ad Rami verba modo adducta: *Liberali animo* (inquit) *largiri aliquid, itemque illiberali animo eſſe, nihilque dare velle, adverſa certe eſſe videntur, ac formis adverſis pugnare.* Quæ Ramo vero *adverſa* ſunt, ab Ariſtotele, iiſque, qui eundem ſequuntur, ordinario *contraria* vocantur.

XLIII. Sed, largiamur aliquid Ramo, & conſuetudini, quæ ipſum æſtimare cæpit; patiamurque pro iis, quæ ab Ariſtotele convenienter diverſa vocantur, quòd non ſint *Eadem*, ſubſtitui *Diſparata*; hæc, ut & oppoſita agnoſci queant, erunt proprie ſubſtantiæ inconciliabiles, quæ cum non poſſint ratione alicujus tertii coire, ita uni alicui ſubſtantiæ opponuntur, ut pari ratione pluribus ejuſdem ordinis opponantur. Aut, ſi volueris hanc oppoſitionem etiam ad accidentia extendere, (propter ea, quæ antea ſunt dicta, & alibi dicentur) conſideranda erunt juxta formam abſtractam, neutiquam vero in concreto, aut ratione ſubjecti, quod implicare debent, ad hoc ut actualiter exiſtant,

XLIV. Keckermannus lib. 1. Syſtem. Log. cap. ult. ut arguit Scholaſticos, *quod negent diſparata eſſe oppoſita*: ita, Diſparata innuens, proxime ſubjicit, *etſi ad diſtincta ſeu diverſa etiam referantur recte.* Immerito ergo arguuntur Scholaſtici; nam quæ Ramus Diſparata voluit dici, & agnoſci propriam Oppoſitorum ſpeciem, illi ad Diverſa referunt: & quidem, ut vidimus, convenienter & recte. Quæ ſequuntur, admitti quoque non poſſunt: *Oppoſita*, dicit, *ſunt* diverſa, *cum præſertim differentias habeant, quas Ariſtoteles vocat ἀντιφατικὰς, id eſt, contradictoriè oppoſitas.* Sed ſcire debuiſſet Keckermannus, ut ſupra obiter innuebamus, apud Ariſtotelem (ſpeciatim lib. 10. Metaph. tex. 19. & ſeqq. ubi videndus Fonſeca) diſcrimen eſſe inter *differre & diverſum eſſe*: nam quæ differunt, in aliquo convenire debent, & per aliquid ſuperadditum differre: quæ vero diverſa ſunt, non eſt neceſſum abſolute, ut in aliquo conveniant, poſſunt enim ſe totis diverſa eſſe. Præterea fallitur Keckermannus, quando putat, omnia quæ diverſa ſunt, agnoſci quoque debere oppoſita: *unio Phyſica*, neque eſt materia, neque forma, neque utrumque ſimul ſumptum, ſed *phyſice* aliquid ab his diverſum, (de diſtinctione Diverſitatis Logicæ & Phyſicæ videatur Suarez Diſp. 7. Metaph. ſect. 3.) quis tamen dixerit hæc oppoſita eſſe, cum ſimul concurrant ad conſtituendum compoſitum Phyſicum? Similiter

militer homo & animal ſunt Logice diverſa: neutiquam tamen oppoſita, ſiquidem de ſe invicem vere prædicari poſſunt. Ut ſi dicatur, Homo eſt animal.

XLV. De Diſparatis, ſub conditione, (& in præjudicium hactenus Diverſorum) admisſis, quum circumferantur quoque axiomata, illa quaſi Oppoſita reſpicientia, non inconveniens fuerit, hoc quoque loco propoſuiſſe. Keckermannus l. d. duo habet, ex quibus poſterius, priori loco proponendum videtur. Eſt vero hoc: *Diſparata completa non concurrunt ad conſtituendum unum eſſentiale.* In commentario vero ſequentia habet: *Dico (inquit) diſparata* completa; *quia alias materia & forma, ut corpus & forma etiam poſſunt dici diſparata, ſed incompleta; & addo non concurrere ad unum eſſentiale, quia ad unum hypoſtaticum poſſunt concurrere; ſic Deus & homo concurrunt, ad conſtituendam perſonam Mediatoris.* Admiſſo hactenus Axiomate, illud è noſtro ſenſu, qui ſufficienter ex antecedentibus patet, magis limitandum eſt. Adeoque Entia ſpecifice complet*a*, concurrere quoque poſſunt ad conſtituendum aliquod tertium: prout adductis exemplis vegetalium & animalium ſupra Th. 38. patuit. 2. Corpus, ſi intelligatur hoc definitum corpus, deſtinatum ad hanc definitam formam compoſitionis, ne quidem ex ſenſu Ramiſtarum Diſparatum cenſeri poteſt. Siquidem ut hoc corpus, ſeu hæc determinata materia,

ſuæ

ſuæ formæ opponitur; ita pariter non opponitur formis deſtinatis ſeu ad aliam materiam, ſeu aliud corpus: ſi placeat voce hac latius uti. 3. Probo omnino, quod ratione habita Myſterii Incarnationis Filii Dei, non velit ſuum Axioma ad illud extendi: interim debuiſſet meminiſſe ſuæ de Diſparatis definitionis, quæ hæc: *Diſparatio* (inquit) *eſt oppoſitio ſpecierum ex unius generis per oppoſitas differentias diviſione ortarum.* Qua admiſſa deſcriptione, ne quidem opus fuit exceptione ad regulam. Neque enim Deus & homo, cum ſe totis diſſideant, cenſeri poſſunt ſpecies, ſub eodem genere oppoſitis differentiis diſſentientes. 4. Naturæ in Myſterio Incarnationis, ſunt quidem completæ ὀυσιωδῶς, non æque tamen ὑποςατικῶς: cum deſtinatæ ſint ad communem ὑπόςασιν, ut ibi ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίςως, καὶ ἀδιαιρέτως ultimò compleantur. Hypoſtaſi æterna æternę Naturę Divinæ, ſuſtentante quoque citra omnem confuſionẽ, à tempore incarnationis humanam naturam.

XLVI. Ramus de Diſparatis hunc habet Canonem, proponendo eundem magis implicite, quàm explicite: *Ex affirmato uno Diſparatorum, negatur alterum.* Quem alii ita concipiunt: *Diſparata non poſſunt eidem attribui.* Limitationem adfert Regius Logicus doctiſſimus Diſput. Log. Probl. 10. *ubi ita*: Abſtractive; *inquit*, ſiquidem ex nominibus ſubſtantivis, non adjectivis, ex loco diſparatorũ fiunt argumentationes.

Non

Non poſſum dicere: Petrus eſt Grammaticus. Ergo non eſt Dialecticus. At rectè. Hæc ars eſt Grammatica. Ergo non eſt Dialectica. Et ſic in aliis. *Hæc Regius.* Chriſt. Matthiæ addit hanc alteram: *Ipſis tamen ut oppoſitis idem attribui poteſt (puta commune genus, aut communia attributa, ſive accidentia.)* Sic V. G. Auguſtinus & Lutherus ſunt oppoſita diſparata, quibus tamen genus commune, effecta communia, & accidentia communia tribuuntur, quam plurima. Uterque enim homo fuit, uterque egregie doctus fuit, & uterque contra hæreticos acerrime pugnavit, & veram religionem ſummo zelo propagavit. *Hæc ille quoque.* Sed, non neceſſum fuiſſet hunc Canonem referre ad diſparata; quum juxta doctrinam de Diverſis, infallibilis perpetuo ſit hic Canon, nec ulla indigeat limitatione; *Diverſa nunquam poſſunt eſſe eadem, aut ratione ſui, aut ratione tertij.* Nam illud quod diverſum eſt, ſemper debet contradiſtingui ab illo, quod eſt idem.

XLVII. Cum præcedenti regula conſentit prior Keckermanni canon: *Diſparata nunquam conveniunt eidem, quâ diſparata ſunt.* Pro explicatione addit ſequentia: *Multo minus inter ſe conſentiunt, ſibique mutuò tribui poſſunt, niſi id fiat per analogiam; ut, panis eſt corpus Chriſti.* Per analogiam intelligit Analogiam figuratam: ſeu Tropum à parte prædicati. Atque convenienter pro hoc caſu Gutberlethus: *Diſparata* (dicit) *nunquam affirma-*

affirmativè enunciantur, niſi impropria ſit locutio, ſed tunc deſinunt eſſe diſparata, ut: Herodes eſt vulpes, homo eſt bulla, panis cœna S. eſt corpus Chriſti. Rectè dicit deſinere eſſe Diſparata, (hoc eſt quaſi diſparate oppoſita) quod nullam inter ſe poſſint exercere pugnam, cum idem verbum, propriè & figurate acceptum, non habeat ſeſe *eodem modo*: quod tamen requirit Lex Oppoſitorum.

XLVIII. Ex mente quaſi Rami, proponi quoque ſolet alter Diſparatorum Canon: *Diſparatorum uno negato, non neceſſario affirmatur alterum.* Quæ ut pateſcat, lubet ſolummodo adferre Guberlethi verba, *quæ ita habent*: Regula hæc, Ex altero diſparatorum affirmato alterum negatur, eſt quidem κατὰ παντὸς vera, ſed non καθόλȣ πρῶτον, propter defectum reciprocationis; ſiquidem ex uno negato non continuò alterum eſt affirmandum. Eodem modo decipiebatur Charinus apud Terentium *in Andria Act.* 2. *Scenâ* 2. quum ſic argumentaretur. Philumena non datur Pamphilo, Ergo mihi dabitur, quaſi diſparatorum oppoſitio duntaxat inter duo eſſet. Rectè igitur à Davo ſervo ridetur, propter concludendi imperitiam. *Hæc Guberlethus.* Sed ex Ariſtotele diu ante Ramum recepta fuerat in Scholis hæc Regula: *Diverſorum uno negato, non valet conſequentia ad aliud, ſi plura quam duo ſint.* Adeo ut iterum debeamus repetere, quod jam aliquoties diximus: non fuiſſe Ramo cauſſas ſatis prægnantes, ut Diſparata,

parata in arvum Logicum, pro augendo numero Oppoſitorum, produceret.

XLIX. Multa adhuc conſiderari poſſent circa Diſparata, quæ ſingularem uſum habent in S.S. Theologia, quæque oſcitanter tum à Theologis, tum etiam à Philoſophis tractari ſolent. Quæ cum noluerimus publice ad diſputandum proponere, ne videremur velle ambitioſe θεολογεῖν, in ſubſequentes Diatribas conjiciemus.

DIATRIBA PRIMA.

Qualis ſit hęc prædicatio:

Deus eſt homo? Vel, *Chriſtus homo eſt Deus?*

QUum, præcedentem de Diſparatis diſputationem, eum in finem potiſſimum propoſuerimus, ut inanes Socinianorum, eorumque, qui illis favent, Thraſoniſmos arguere & confundere poſſemus; quô hoc porro definite agere liceat, operæ pretium fuerit, proxime, aliquanto diſtinctius, juxta principia jam antea propoſita, inquirere in conditionem hujus propoſitionis: *Chriſtus homo eſt Deus?* Vel, *Deus eſt homo.* Quicquid enim aliis, qui ſe ſolos putant

eſſe Theologos, videatur; hujus dubij explicatio pertinet ad Philoſophos, atque, ut vere dicit Schegkius in Præf. lib. 7. Top. Ariſtot. *Ignorantia & contemptus veræ Philoſophiæ parit errores illos in animis hominum, qui confuſe & ſine diſtinctionibus de his myſteriis loquuntur.* Hoc ergo ut pateat, prænotandum, in doctrina de perſona Chriſti, duplices voces occurrere, eaſque, quæ reſpectum habent ad perſonam ſeu ſuppoſitum dici concretivas, quæ vero ad naturas, abſtractivas. Quamquam vero naturæ in ſe diſtinctæ manent: perſona tamen denominatur modo ab alterutra, modo ab utraque natura. Ita concreta ſunt & perſonam denotant: Deus, homo, Chriſtus: abſtracta vero ſunt, Divina natura, & humanitas, ſive humana natura. Atque inde jam fit, ut in concreto dicatur, & Deus eſſe homo, & homo Deus: eadem enim eſt perſona, quæ ſubſiſtit in duabus naturis: ſed, nec Divina natura dici poteſt humana: nec humana Divina. At nomina concreta ſupponunt ὑπόϛασιν naturæ: quare & indifferenter prædicari poſſunt in concreto, quæ ad utramq; naturam pertinent: ſive illud nomen de quo dicuntur, reſpectum habeat ad utramque naturam, ut nomen Chriſtus, per quod colligitur & unguens divinitas & uncta humanitas: ſive ſolum, ad Divinam naturam, ut nomen Deus, aut Filius Dei: ſive duntaxat ad humanam naturam, ut hoc nomen homo. conveni-

enter

enter Leo Papa in Epiſtola ad Palęſtinos: *Non intereſt*(inquit) *ex qua Chriſtus ſubſtantia nomineiur, cum inſeparabiliter manente unitate perſona, idem ſit & totus hominis filius propter carnem: & totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem* Quod totum ſit, propter perſonæ ſeu ſuppoſiti unitatem. Quia enim non eſt alius Chriſtus, qui ſit Deus, & aliis qui ſit homo, ſed idem Chriſtus & Deus & homo: Inde accidit, ut de eodem Chriſto in concreto, quod perſonam ſeu ſuppoſitum denotat, dicantur Divina & humana attributa: quæ tamen in abſtracto, propter naturarum diverſitatem, de ſe invicem prædicari non poſſunt, ut neque alterutrius naturæ proprietates, de natura altera tanquam diverſa. Adeoque Divina attributa non poſſunt dici de natura humana. Eſt enim in Chriſto non alius & alius, ſed aliud: hoc eſt duæ naturæ ſe totis diverſæ, non vero alia atque alia perſona, ſed unus idemque Chriſtus, hypoſtatice unitas habens duas naturas, ſe totis à ſe invicem diverſas. Unde convenienter ſcripſit Auguſtinus Tract. 19. in Johan. *Ipſe eſt Filius hominis, qui & Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem perſonæ, Filius hominis Filio Dei, facta eſt una perſona, eademque Filius Dei, quæ & Filius hominis.* Sed, hic jam emergit gravis quæſtio, quum Deus & homo ſi abſolute & extra Chriſtum conſiderentur, ſe totis diverſi ſint, quæritur, an etiam eandem diſtantiam retineant ratione perſonæ Mediatoris, ſive θεανθρώπου Chriſti?

ſti? Sive, an debeant vere cenſeri Diſparata, ex ſenſu ſcil. Ramiſtarum, qui pro diverſis Diſparata ſubſtituere amant? Magnus ille Melanchton, quem multi ſequuntur, ſecutus Bonaventuram, Scholaſticum non incelebrem, nimium largitur: ſiquidem ut poſt Rudolphum Agricolam lib. 1. Dialect. agnoſcit Diſparata, proponitque de illis hanc regulam: *Diſparata non coëunt*: ita, agnoſcendo exceptionem in Myſterio ἐνσαρκώσεως, hæc inter alia ſubjicit: *Vnum* (inquit) *admirandum exemplum, diſſimile toti reliquo ordini naturæ, propoſuit Deus, videlicet copulationem Divinæ & humanæ naturæ in Filio, Domino noſtro Ieſu Chriſto. Filius Dei eſt viva imago Patris coæterna: & eſt homo natus ex Virgine. Hic diſparatum de diſparato prædicatur. Eſtque hoc exemplum exceptum à communi regula de diſparatis.* Melanchthonem ſequuti fuerunt plurimi, ſpeciatim Buſcherus, Hofmannus, aliique, cum quibus Goclenio negotium fuit: qui, ut & accuratiſſimus Libavius in Dialectica jure merito in alia omnia diſceſſit. Nam admiſſis hactenus Diſparatis, ut oppoſitis, omnino illa velut oppoſita conſideranda erunt ſecundum conditiones oppoſitionis in Diſput. theſi quarta propoſitas *ad idem, ſecundum idem*, &c. Sed hæ conditiones ratione Divinæ & humanę naturæ, in perſona τοῦ λόγου, ὑποστατικῶς unitarum non obſervantur nam 1. Divina natura habet propriam ὑπόστασιν, quâ humana deſtituitur, quæ eſt ἐνυπόστατική. 2. Divina

vina natura ab æterno fuit in ὑποστάσει Filii Dei, cum humana in eandem ὑπόστασιν duntaxat ſit aſſumpta in plenitudine temporis, prout ipſa Scriptura loquitur. 3. Utraque natura manſit inconfuſa, nec una in aliam pugnam exerit, quæ pugna tamen in omnibus oppoſitis notatur, eo uſque, ut non poſſint coire ad conſtituendum aliquod tertium. Unde merito negamus, Deum & hominem in perſona Chriſti ſeſe habere per modum diſparatorum: cum enim unus idemque Chriſtus ſit & Deus & homo: & Deus non ſit alius ab homine, fieri nequit, ut idem ſibi ipſi ſit diſparatum. Quod ut magis pateat, duo proponimus argumenta juxta formam Logicam, quorum hoc *prius*: Diſparatorum enunciato non ſignificatur idem ſuppoſitum vel eadem perſona. At hac propoſitione: Deus eſt homo, ſignificatur eadem perſona in utraque ſubſiſtens natura, id eſt, una tantum eſt perſona, quæ eſſentialiter eſt Deus & homo ſimul, ac dicitur Chriſtus. Ergo hæc non eſt diſparati de diſparato enunciatio. *Alterum* ſit hoc: Si Deus & homo hic eſſent verè diſparata, de homine prædicari non poſſent, quæ ſunt Dei propria, neque rurſus quæ ſunt hominis de perſona Dei. Neq; enim Deus qui non ſit etiam homo, dici poteſt mori, aut homo, qui non ſit Deus, mortuos vivificare. Atque unus & idem Chriſtus de ſeipſo prędicat, quæ Dei ſunt, & etiam quæ hominis. Quæ Dei ſunt: ut ego

& pater unum ſumus: item, ego ſitio. E. hic Deus & homo nonſunt verè diſparata. Atque cum nos non agnoſcamus Diſparata, ſed eorum loco Diverſa: Deus & homo ita ſunt Diverſa, ut nulla tamen inter ſe habeant repugnantiam, quo minus coire poſſint in uno ſuppoſito. Nec quicquam ad rem facit, quòd Deitas & humanitas ſe totis ſint *diverſa*, & juxta multos, ex ſuis principiis philoſophantes etiam *diſparata*. Nam longe alia eſt ratio *abſtractorum*, hoc eſt, ipſarum formarum, quam *concretorum*, id eſt, ſubjectorum talibus formis affectorum. Abſtracta enim nomina notant formas rerum per ſe, ſed concreta ſupponunt pro perſonis, ſive ſubjectis. Ut V.C. cum dicis ſapientiam, dicis formam accidentariam ſine ſubjecti conſideratione: at cum dicis, ſapiens, indicas ſubjectum, in quo ſapientia eſt, V.C. Salomonem. Quanquam enim formæ abſtractæ per ſe non ſubſiſtunt à parte rei, ſubſiſtere tamen cenſentur objective à parte intellectus, adeoque & mente abſtrahi poſſunt à ſubjecto & debent: cum ſeorſum ſæpe de ſubjecto, & de forma ſit diſſerendum. quæ cauſa eſt, cur dicamus humanam Chriſti naturam, non eſſe Divinam, & tamen hominem ipſum eſſe Deum. Ratio eſt: quia concretum homo ſupponit pro perſona Chriſti, qui & Deus & homo eſt: abſtractum vero humanitas Chriſti, ſupponit ſolummodo pro natura in ſe conſiderata. Non quod naturam

naturam ſeparemus, aut tanquam ſeparatam à λόγῳ conſideremus, & ita ſolvamus Chriſtum; ſed quòd mente tantum illam in ſua natura, à perſona λόγου, in qua ſuſtentatur, diſtinctè contemplemur, & quid ei poſſit convenire, vel non convenire, diſtinctè concipiamus. Nec putandum eſt, naturam & Chriſtum differre realiter. Quamvis enim Chriſtus conſtet natura Divina & humana, non eſt tamen tertium quid, ab illis realiter diſtinctum: hoc eſt, non eſt tertia natura ex duabus conflata, nec caro eſt aſſumpta à λόγῳ ad tertiæ naturę conſtitutionem, ſed idem Chriſtus ἀσυγχύτως, ſeu, inconfuſe, manet & Deus, & homo. Præterea in Chriſto non ſunt duæ perſonæ, una hominis, altera Filii Dei, ut voluit Neſtorius: ſed Divina natura ita unitur humanæ, ut hæc perſona Divina, ἐν τῷ λόγῳ, ſubſiſtat ὑποςατικῶς, (ſive ut Paulus Synoymice loquens dicit Coloſſ. 2. 9. σωματικῶς) Unde Scriptura Filium Mariæ vocat *Filium altiſſimi*, Luc. 1. 32. & *germen Davidis vocatur Iehova*, Jer. 23. 5. 6. item, *Deus benedictus*, Rom. 9 6. Convenienter Hugo de S. Victore Erud. Theol. de Verbi incarn. Coll. 2. *Filius Dei non aſſumpſit hominem perſonam, ſed aſſumpſit hominem in perſonam.* Siquidem Verbum perſona aſſumpſit hominem, non perſonam, ſed naturam. Nec propterea tamen homo æquivoce prædicatur de Chriſto & de nobis. Nam æquivocatio (ut multis perperam perſuaſum

in hac doctrina eſt) non deducitur ex diverſitate prædicationis, qua homo V. C. prædicatur de Petro & de Chriſto; ſed ex diverſitate ſignificationis: quæ reſpicit diverſitatem formæ, ſeu naturæ per nomen ſignificatæ: ut ſi homo prædicetur de Petro & de imagine Petri, æquivoca eſt prædicatio, quia diverſa innuitur ſignificatio hoc nomine, homo. In Petro enim notari poteſt vera ac ſubſtantialis forma hominis, id eſt, vera humana natura. At in imagine, ſive pictura Petri, ſignificatur duntaxat forma accidentalis, quæ ſolummodo naturam humanam repræſentat. At, cum de Chriſto, ſeu Dei Filio, aut λόγῳ prædicatur *homo*, eandem naturam humanam ſignificat, quam ſignificat, cum de quavis alia perſona humana prædicatur. Adeoque neutiquam æquivoce homo de Chriſto & nobis prædicatur; etſi hypoſtaſis Filii Dei natura & numero à noſtris hypoſtaſibus differat. Quando *Deus* quoque de Chriſto prædicatur, blaſpheme cum Hæreticis, ſpeciatim Socinianis, qui ſe Monarchianos vocant, non debet fingi Æquivocatio: quaſi Chriſtus æquivoce duntaxat Deus ſit, nec æque Deus ac Pater. Ita enim non foret magis Deus, quàm quatenus æquivoce aut Magiſtratus dicuntur *Dii*, Pſal. 82. 6. aut diabolus vocatur *Deus hujus ſeculi*, 2. Cor. 4. 4. aut quatenus ſancti vocantur *templum Dei*, 1. Cor. 3. 17. Sed expreſſe vocatur *Filius Dei vivi*, Matt. 16. 16,

Filius

Filius Dei altiſſimi, Luc. 1. 32. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*, Joh. 1. 18. imo *ſupra omnes Deus benedictus in ſecula*, Rom. 9. 5. Ex quibus minifeſtiſſimum eſt, Chriſtum longe excellentiori ratione eſſe Deum, & Dei Filium, quàm re iquos Sanctos, & proinde non minus falſum fuiſſe Neſtorium, cum Chriſtum doceret Deum duntaxat dici, 1. propter *inhabitationem Dei in illo, tanquam in templo*: 2. propter affectus *conformitatem*: 3. propter rationem *inſtrumenti*: 4. propter *dignitatem & honorem*: 5. propter *appellationem*: quàm potiſſimum Socinianos, qui licet videantur Chriſtum Deum vocare, non agnoſcunt tamen Deum coëſſentialem cum Patre, ſed Deum creatum & titularem, unde nec dubitant in Catecheſi Racovienſi cap. 1. ita proloqui: *Dominus Chriſtus, quamvis quidem verus ſit Deus, tamen non eſt unicus verus Deus, qui ſolus à ſe & perfectiſſime Deus eſt.* Quæ ut ſunt non modo blaſphema, ſed & ἀσύςατα; ita Deus eadem ratione de Chriſto homine prædicatur in concreto, atque de Deo Patre, quoniam ab æterno ejuſdem cum Patre ſuo eſſentiæ conſors eſt: prout proxima Diatriba fuſius oſtendetur. Sed interim quæritur, qualis ſit hæc prædicatio: *Deus eſt homo.* Jacobus Schegkius Logicus haut de trivio in Præf. ad lib. 7. Topicorum, putat eſſe prædicationem accidentis de ſubjecto, & conſequenter Paronymicam. Ita enim loquitur: *Quamobrem* παρονύμως (inquit) *ſeu Denomina-*

 tive

tive de Chriſto prædicabitur homo ex neceſſitate, ut ſi dicam illam hominem ubique omnipotentem eſſe, nihil aliud dici intelligatur, quàm Filium Dei (cui accidat aſſumpta humana natura, tanquam perſonæ ſecundæ in Trinitate, propter quod accidens ſit humanatum, ſeu incarnatum quiddam) ubique eſſe, ut interim natura ipſius humana ſit localis. Omne enim quod accidit creatura eſt, & omnis creatura finita eſt. Sed vir egregius nimis late extendit prędicationem Paronymicam. Juxta ſcita communis Philoſophiæ Peripateticæ παρόνυμα, ſeu Denominativa, non ſunt niſi concreta accidentaria: ſiquidem ſic ſignificant accidens aliquod ſubjecto alicui ineſſe, ut cum ſubjecto ſimul formam accidentariam connotet. Sed, cum vulgo nomina connotativa, & quidem ſubſtantiva, quæ relative ſeſe habent, (ut parer, Filius, Dominus, &c.) παρόνυμα, ſeu Denominativa quoque vocari conſueverint, inde multi exiſtimarunt hic quoque occurrere *prædicationem Paronymicam*: quibuſdam interim duntaxat talem agnoſcentibus *ſecundum modum prædicandi generalem & formalem*, differentia occurrente in materia, quare ſingularis haberi debeat. At hi, quòd ſeſe diſtinctius neſciant explicare, fatentur propoſitionem eſſe ſine exemplo. Quod quanquam negari non poteſt, laborandum tamen eſt ut ad ordinatam tam prope referatur, quam fieri poteſt. Inter Scholaſticos Doctores hic quoque non convenit. Integræ familiæ notantur diviſæ.

viſæ. Innuo Thomiſtas & Scotiſtas. Quantum quidem ad illos, ubi commentantur in Tertiæ Partis Quæſtionem XVI. art. I. hanc Quæſtionem tractare ſolent, atque, ne alios ſollicitem ex illorum mente ſic loquitur *Franciſcus Sylvius Profeſſor Duacenus*: Thomas quidem docet hanc propoſitionem, *Deus eſt homo*, non eſſe in materia remota, quia formæ per extrema ſignificatæ conveniunt in unum ſuppoſitum. Non eſſe etiam in materia contingenti, quia prædicatum convenit ſubjecto non per accidens, ſed ratione ſuppoſiti, cui convenit eſſe hominem non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Concludit eſſe in materia naturali & neceſſaria; quia homo dicitur de Deo tanquam de ſuppoſito humanæ naturæ, ac proinde ſicut ſpecies de individuo. Si dicas propoſitio per ſe; eſt etiam vera cum reduplicatione: hæc autem non eſt talis; non enim dicitur quod Deus ut Deus ſit homo: Deinde propoſitio per ſe, non poteſt eſſe falſa: hæc autem, Deus eſt homo, & falſa erat ante Incarnationem; & falſa eſſet ſi (quod poſſibile eſt) Deus humanitatem relinqueret. Ad prius R. Cum hæc propoſitio, Deus eſt homo, verificetur non ratione formæ ſignificatæ in ſubjecto, hoc eſt non ratione divinitatis, ſed ratione illius ſuppoſiti quod in ſubjecto ſignificatur; ſecundum quod eſt vera, eſt prædicatio per ſe, & poteſt verificari cum reduplicatione non formæ, ſed ſuppoſiti, hoc modo,

Deus ut ſubſiſtens in natura humana divinæ conjuncta, eſt homo. *Hactenus ille.* Diſſentiunt ex parte Scoti aſſeclæ, è quorum mente Rhada Epiſcopus Pactenſis in Controverſiis Thomiſtico-Scotiſticis Controv. 8. art. 1. Concluſiones plures proponit, *è quibus hæc eſt prima.* Iſta propoſitio, Deus eſt homo, eſt vera. Probatur, quia ſuppoſitum ſubſiſtens in aliqua natura ut ſuppoſitum naturæ, dicitur, & eſt tale per ipſam: ſed verbum Divinum ſubſiſtit in natura humana aſſumpta ſicut ſuppoſitum naturæ, ut de fide eſt: ergo dicitur, & eſt homo per eam. Sed verbum Divinum eſt Deus, ergo Deus eſt homo. Concluſio eſt de fide tenenda. *Secunda concluſio.* Iſta propoſitio, Deus eſt homo, eſt propria, ſicut iſta, Petrus eſt homo, Probatur, quia homo eſt univocum prædicatum, & ſecundum eandem rationem ad ſingulares homines, & ad Deum: igitur ita propriè homo de Deo, ſicut de quolibet homine. Conſequentia eſt nota: antecedens probo, quia tota ratio hominis, quæ eſt ainmal rationale, ſecundum rei veritatem dicitur de Deo, ergo propriè eſt vera. Præterea reſpectu Dei, & hominum ſingularium nulla æquivocatio cadit in ratione communi hominis, ſed æque ſecundum rei veritatem illa ratio ab eis participatur, ergo propriè de Deo dicitur. *Tertia concluſio.* Iſta propoſitio Deus eſt homo, ſecundum rigorem logicum, & logicè loquendo; non eſt propo-

ſitio

ſitio per ſe. Probatur, quia ut ſupra diximus, notabili ſecundo pro opinione Scoti, in propoſitione per ſe, pręedicatum, vel eſt de intellectu ſubjecti, vel intrinſece includit cauſam inhærentiæ ipſius prædicati: ſed Deus ſecundum ſe, nec includit intrinſece prædicatum homo, nec cauſam inhærentiæ prædicati, quod eſt humanitas, ergo illa propoſitio non eſt per ſe. Secundò, quia in pręedicatione per ſe, prædicatum neceſſario dicitur de omni contento ſub ſubjecto, ut in his, homo eſt animal, homo eſt riſibilis, in quibus prædicatum neceſſario dicitur de omnibus ſingularibus ſub homine contentis, & ratio eſt, quia tale prædicatum ineſt ei cum reduplicatione, ſcilicet qua tale eſt, at quicquid alicui qua tale eſt convenit, omnibus ſub eo contentis conveniat neceſſe eſt. Sed in hac Deus eſt homo, illud prædicatum non convenit omnibus ſub eo contentis, quia, pater non eſt homo, nec Spiritus Sanctus, ergo non dicitur per ſe de Deo. Et confirmatur, quia ſi per ſe de Deo diceretur, vel in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe, ſed in neutro quia nec homo eſt de definitione Dei, nec ejus propria paſſio, igitur, &c. *Hæc nobilis ille Scotiſta*, quibus, pro explicanda tota veritate ſubjicimus ſequentem ἐπίκρισιν. *Primo* diſtinguere convenit inter concreta, quæ ſunt vel adjectiva, vel ſubſtantiva. Utraque conveniunt in hoc, quod duo ſignificent, unum per modum

dum ſuppoſiti, & alterum per modum formæ: & unum quidem in recto, ſeu Nominativo, alterum vero in obliquo caſu. Concreta adjectiva in caſu recto ſignificant ſubjectum: in caſu vero obliquo ſignificant formam, prout hoc fuſius à Logicis doceri ſolet. Inter quos quum non conveniat ratione concretorum ſubſtantivorum, videtur dicendum eſſe ea ſæpius quidem in caſu recto ſupponere pro natura, aliquando tamen pro ſuppoſito. Quod vel patet circa locutiones, quas de Deo habemus. Quum dicimus *Deus eſt omnipotens*: Hic Deus in recto notat naturam, in obliquo vero ſuppoſita. Siquidem propoſitionis illius hic eſt ſenſus: Natura Divina ſubſiſtens in tribus perſonis eſt omnipotens. At cum dicimus *Deus generat*: Deus in recto præſupponit pro perſona, in obliquo vero pro natura. Quum enim dici non poſſit, quod eſſentia generet, ſed perſona, & quidem Patris: ſenſus hujus propoſitionis eſt: Quædam perſona, habens Deitatem, generat. *Secundo* quod diximus de concretis ſubſtantivis obſervari omnino debet circa locutiones, quas in Scholis perſonales vocare ſolent. Nam aliquando præſupponitur pro natura, aliquando pro ſuppoſito. Et quidem pro natura, ſi V.C. dicam: *Hic homo*, ſcil. *Chriſtus edit*, *ac dormit*. Quam Enunciationem neutiquam ita potes explicare: Hypoſtaſis Divina, quæ ſibi univit naturam humanam, edit, ac dormit. Sed commodiſſime

ſime & ſimul veriſſime: Humana natura unita Hypoſtaſi τȣ λόγȣ edit ac bibit. Vice verſa, ſi dicitur *homo eſt Deus*, & *Deus eſt homo*; non poteſt per vocem *homo*, in caſu recto ſignificari natura humana, nec per vocem *Deus*, Divina natura; niſi velis incidere in hæreſin *Eutychis*, qui naturas confundebat inter ſe. Senſus enim hic affingi non poteſt priori Enunciationi: Humana in Chriſto natura habet Divinitatem: nec poſteriori hic ſenſus: in Chriſto natura habet humanitatem. Sed ſi in recto Deus eſt homo ſignificent Suppoſitum, in obliquo vero naturam, omnia erunt ſalva. Adeo ut ſenſus ſit: Hypoſtaſis Divinæ naturæ, eſt etiam hypoſtaſis humanę naturæ. Quod & norat Damaſcenus, quum lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 11. ſcriberet: *Deus is eſt, qui natura Divina præditus eſt & homo qui humana.* Ubi manifeſtiſſime hypoſtaſin in caſu recto, naturas vero in obliquo effert, & hoc innuere vult, illum, qui natura Divina gaudet, præditum pariter eſſe natura humana. *Tertio* diſquirendum proxime, quales ſint prædicationes perſonales, de quibus quantopere inter Logicos non minus, quàm Theologos contendatur, publice notum eſt. Quanquam vero plurimi in illa ſunt ſententia, eô, quòd inuſitatæ ſint, reſpuere formam Logicam, nec ad lineas talis formæ convenienter redigi poſſe: haut quaquam tamen unquam illis aſtipulari potui. Quaſi vero ideo,

ideo, quod ſano ſeuſu inuſitatæ ſint ratione materiæ, formam Logicam averſari debeant. Ut ratio illarum pateat, putem admittendam eſſe Logicorum diſtinctionem, juxta quam primitus prædicationem dividunt in internam, ſive intrinſecam, & externam. In trinſecam vero ſubdividunt in Eſſentialem, & Accidentalem: ut vero utriuſque ratio pateat, lubet pro meis adoptare verba Jeſuitæ Du Trieu, qui in Dialectica ſua lib. 1. part. 1. cap. 2. *ſequentia habet*: Prædicatio Eſſentialis eſt, cujus totum prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti: *ut homo eſt animal, homo eſt animatus.* Quæſt. 1. Quid dicitur eſſe de eſſentia alterius? Reſp. Illud, ſine quo alterius natura nec eſſe, nec concipi poteſt: *ut anima eſt de eſſentia hominis, quia homo nec eſſe, nec concipi poteſt ſine anima. Item animal dicitur homini eſſentiale: quia non poteſt aliquid eſſe aut concipi eſſe homo, quin ſit & concipiatur eſſe animal.* Quæſt. 2. Quare dicitur in definitione, TOTUM PRÆDICATUM debere eſſe de eſſentia ſubjecti? Reſp. Quia ſi aliqua pars prædicati non pertineat ad eſſentiam ſubjecti, non erit prædicatio eſſentialis, etiamſi alia pars ſit de eſſentia ſubjecti: *ut hæc prædicatio, Ioannes eſt homo albus, non eſt eſſentialis, quia album non eſt de eſſentia Ioannis, licet homo ſit eſſentia illius.* Prædicatio Accidentalis eſt cujus prædicatum vel nulla ex parte, vel non totum eſt de eſſentia ſubjecti: *ut Ioannes eſt albus, vel Ioannes*

eſt homo

eſt homo albus. Huc uſque *Ieſuita*, qui Logicus non de Circo maximo: cujus verbis uti placuit, quod commode mentem meam complectantur. Juxta quæ principia progrediendo, dicendum eſt, propoſitiones perſonales alio referri non poſſe, quàm ad *prædicationes accidentales*. Nam ſive dicam, *Deus eſt homo*, ſive, *Chriſtus homo eſt Deus*: nec homo pertinet ad eſſentiam Dei, nec etiam Deus pertinet ad eſſentiam Chriſti, quâ hominis: adeoque in utraque Propoſitione prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti. Sed *quarto* hic quæritur, & adverſantibus ſententiis qua Theologorum, qua Logicorum diſcutitur, debeantne hæ propoſitiones cenſeri uſitatæ, an inuſitatæ. Putarim hic vero diſtiuguendum eſſe. Nam poſſunt hæ propoſitiones conſiderari vel ratione materiæ, vel ratione formæ: Quod ad conſiderationem materiæ, neutiquam licet ambigere eas eſſe non modo inuſitatas, ſed inuſitatiſſimas: quod in tota natura non occurat ſimile exemplum, ubi duæ naturæ, ſubſtantialiter completæ, tali ratione, qualis notatur in propoſitionibus perſonalibus, de ſe invicem prædicentur. Interim ſi conſiderentur ſecundum formam, jure merito uſitatæ hæberi poſſunt, quum prædicandi ratio, qua duæ formæ, ut ut diſtinctæ, de ſe invicem prædicantur propter identitatem ſuppoſiti, apud omnis generis authores, favente pariter recepto loquendi uſu in omnibus

linguis, ſit obvia. *Quinto* pariter quæritur, an prædicationes hæc cenſeri queant Paronymicæ, ſive, denominativæ. Atque ſi inhæreamus veſtigiis Ariſtotelis, tales vocari non poſſe, ob defectum variorum requiſitorum jam antea obſervavimus. Sed cum, favente uſu loquendi, receptum jam ſit, ut Prædicationes accidentales omnes, vocentur Denominativæ, de verbo nulli litem movebimus, modò de re ipſa conſtiterit. De Treu loco dicto proxime hæc ſubjicit: *Prædicatio accidentalis aliter vocari ſolet denominativa, quia in ea denominativum prædicatur de denominativo, ut patet ex exemplis allatis*: ſcilicet intelligit prædicatum, quod ſit concretum accidentarium, atque hactenus dici poſſet ipſum accedere Ariſtoteli & ſequacibus ipſius. Sed, cum receptum ſit, propoſitiones perſonales pariter denominativas vocare, putandum eſt, hactenus ab Ariſtotele & recepta in Scholis loquendi ratione aliquantiſper recedi, & prædicationem Denominativam aliquanto latius extendi. Nec tamen audimus quoſdam Logicos, qui contendunt prædicationes denominativas non eſſe Univocas. Quum enim ipſi concedant, denominativa vel prædicari mere æquivoce, vel analogice; cur non concedant pariter prædicari quoque poſſe Univoce? neque enim ulla ratio diverſitatis adferri poteſt, cur non nigrum Univoce prædicetur ratione Æthiopis, corvi & carbonis. *Sexto*, quando vero Scotus dicit

dicit propoſitiones perſonales non eſſe per ſe, & conſequenter per accidens, dextre mens ipſius intelligenda eſt, quæ ut pateat, lubet iterum adferre verba Radæ qui *ita porro loquitur*: Quum nulla ſit unio ſimilis huic unioni hypoſtaticæ humanitatis ad verbum, propter quam hæc prædicatio eſt vera, nullum invenietur prædicatum dictum de ſubjecto, quod ſe habent ad illud, ſicut in propoſito hoc prædicatum homo ad Deum. Nam quantum eſt ex parte prædicati, eſt ſpecies tantum, quia non eſt natum eſſe genus, nec differentia, nec proprium, nec accidens. At quantum eſt ex parte modi habendi reſpectu ſubjecti, quia non eſt de ratione intrinſeca ſubjecti, & advenit ſubjecto exiſtenti in actu completo, ita ut poſſit ab eo abeſſe, videtur ſimilem habere habitudinem reſpectu ſubjecti, qualem habet illud prædicatum quod dicitur accidens. Quocirca licet illa prædicatio non ſit Metaphyſice per accidens, poteſt tamen concedi eſſe per accidens Logice, quia prædicatum eſt extra per ſe intellectum ſubjecti, nec in ſubjecto eſt cauſſa neceſſaria inhærentiæ prædicati ad ipſum, quorum alterum ad prædicationem per ſe Logice erat neceſſarium, non eſt autem Metaphyſice per accidens, quia neutrum extremum realiter accidit tertio, nec ambo tertio. Unde iſta unio extremorum, ſcil. humanitatis cum Verbo, nec eſt eſſentialis, nec accidentalis; ſed

ſubſtantialis. *Hactenus Rada* ex mente Scoti, quæ ut agnoſcimus accurate eſſe dicta, ita ex illis patet, Scotum non ſimpliciter exiſtimaſſe has propoſitiones eſſe per accidens, ſed duntaxat accidentales in ſenſu Logico. Quum Reverendus & undiquaque doctiſſimus Theologus Edmundus Albertinus in accuratiſſimo & elaboratiſſimo ſcripto de Euchariſtiæ Sacramento lib. 1. cap. 13. ſuam quoque ſententiam voluerit proponere de hiſce perſonalibus prædicationibus, *ſeptimo* & *poſtremo* libet ipſius verba adferre, *quæ itahabent*: *Quando* de Chriſto (*inquit*) dicitur, *Deus eſt homo*, & reci procè, *Homo eſt Deus*; fateor quidem has duas propoſitiones veras eſſe ac proprias, ſed nego in illis diſparatum de diſparato prædicari. Prædicatio foret diſparatorum, ſi diceretur, *divinitas eſt humanitas*: ſed ſupra allatæ propoſitiones non verificantur & identificantur ſecundum formas, ſed ſecundum ſuppoſitum, quod eruditi viri obſervare debuerant. Nec obſtat quod objicit Gerhardus, *nos*, non poſſe reducere propoſitiones illas perſonales, *Deus eſt homo*, *& homo eſt Deus* ad uſitatas Logicorum prædicationes, ita tamen ut myſterio illi unionis perſonalis ex quâ reſultant, nihil decedat. In eo enim fallitur. Nam licet illæ contineant rem inuſitatam ſingularem ac veram, ad regulares nihilo minus prædicationes Logicas prædicationis earum modus apertè refertur. In priori

enim

enim, *Deus eſt homo*, uſitata eſt prædicatio ſpeciei de individuo: in poſteriori autem *homo eſt Deus*, prædicatio tanquam proprij cujuſdam de individuo. Nam proprium eſt ſingulare huic homini ut ſimul ſit Deus. *Hæc D. Albertinus*. Recte 1. vir egregius negat, quamvis multis ex Theologis noſtris ſecus viſum fuerit, in his Propoſitionibus diſparatum de Diſparato prædicari. 2. Nollem tamen ſcripſiſſet, hanc propoſitionem, *Deus eſt homo*, reſpondere prædicationi ſpeciei de ſuo individuo. Nam hæc eſt prędicatio eſſentialis, quum homo v.c. pertineat ad eſſentiam Sempronij, de quo prædicatur. At cum dico, *Deus eſt homo*: nequaquam dici poteſt pertinere ad eſſentiam Dei. 3. Ut exemplo ipſius Scoti diſtinguit à priori hanc propoſitionem, *Homo eſt Deus*: & dicit eam eſſe *quaſi prædicationem proprii de individuo*, excuſari eatenus poteſt, quatenus juxta Porphyrii principia Proprium lato quoque ſenſu accidens vocatur, quum non ſit eſſentiale conſtitutivum. At vir cæteroquin accuratus cogitare debuiſſet, juxta Logicos proprium individuale accidentaliter ſe habere. Unde conſequens, has prædicationes convenientiſſime cenſeri & vocari accidentales.

DIATRIBA SECUNDA.

Qua invictis argumentis probatur, quòd Dn. Jeſus Chriſtus ſit verus & infinitus Deus, Deo Patri coëſſentialis, & in Unitate perſonæ non minus verus & Æternus Deus, quàm verus homo.

PRoxime demonſtrari debet, quòd Dn. Jeſus Chriſtus, ſit verus Deus, coëſſentialis ſcil. Deo Patri. Sociniani nolunt videri negare Deitatem Dn. Jeſu Chriſti, ſic enim expreſſe ipſe Socinus adverſus Wiekum cap. 5. *Diximus nos concedere, Chriſtum eſſe naturalem Dei filium.* Non tamen volunt eſſe æqualem Deo Patri, aut ſummum Deum. Ita enim loquuntur in brevi Inſtit. religionis ſuæ cap. 11. *Nonne & Chriſtus eſt Deus?* Reſp. *Eſt quidem Deus, ſed non ille ſummus, quandoquidem ipſius eſt Filius.* Adeoque Socinianorum hęc genuina eſt ſententia: *Dominum Ieſum Chriſtum eſſe quidem Deum, cæterum minorum gentium, ſive Deum inferiorem Deo Patre.* Sed primitus hæc ſententia, ſibi ipſi ut eſt contradictoria, ita cum ſana ratione ſubſiſtere non poteſt, quæ ut per lumen naturæ cognoſcit Deum ſolum unum eſſe poſſe, ita quoq;

quoque eſſe infinite perfectum, cui nihil perfectionis aut addi, aut detrahi poſſit. Unde Seneca Ep. 66. *Divino nihil divinius, cæleſti cæleſtius.* Et Maximus Tyrius Philoſophus Platonicus Diſſert 22. τὸ θεῖον πάντως τελειώτατον καὶ αὐταρκέστατον καὶ ἰσχυρότατον. *Numen Divinum perfectiſſimum, ſibi ſufficiens, & potentiſſimum: ut ſi partem demas aliquam, neceſſe ſit, ut corruat totum. Si enim perfectum non eſt, nec ſibi ſufficiens erit: ſi non ſufficiens ſibi, nec perfectum. Quod ſi nec ſufficiens ſibi, nec perfectum, quomodo potens?* Inde Ambroſius lib 2. de fide ad Gratianum cap. 4. dicit *Divinitatem gradum neſcire.* Alii Patres Græci dixerunt quòd Deus ſit κρείττων πάντος ἀριθμοῦ. *Omnem numerum excedat.* Quod optime explicuit Cerealis Epiſcopus, diſputans adverſus Maximinum Arrianum. Author quod ſit rarior, pauca ex illo proferenda videntur. Ita ergo loquitur cap. 15. hæreſiologiæ: *Inſeparabilis quippe eſt trinitas; Neque enim locus eſt, ubi non ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus: ubique ſimul ſunt, nec ſeparantur locis, quia non eſt corporeus Deus; nec numeratur Deus, quia non ſubjicitur numeris, Deus igitur noſter unus eſt. Nam cum pater & Filius & Spiritus Sanctus ſit, nemo Chriſtianus três Deos poterit dicere; quia in nullo à ſe divina diſtat natura: numerus ſiquidem ordinem efficit, æqualitas non admittit; alter enim primum ſequitur, alteri tertius applicatur. Sed cum gradus fieri non poſſint ex partibus, qui ſubdi poſſint, quemadmodum cum numeratur,*

unus ergo erit, quia non habet ſecundum: ſecundus quippe minoris ordinem tenet; & minor alterum facit, alter poſteriorem indicat, poſterior imparem ſignat. Remove diſtantiam, &, quod numeres, non habebis. Et poſtea cap. 20. *Hoc tantum Lector teneat* (inquit) *Dominum Deum minime numero ſubjacere, minime ſeparari. Hæc autem eſt vera perfectio: Nam non ſubjicit alterius comparatio: nec remanet, quod poſſit accreſcere.* Atque explicans illud Eccleſiaſtici: *Quia innumerabilis eſt magnitudo Dei.* Sequentia ſubjicit: *Vnde docetur* (ait) *quia blaſphemi ſunt, qui Trinitatem ſeparando gradibus & numeris credunt eſſe ſuadendam.* Si Sociniani, qui rationem perpetuo crepant, juxta ſanam rationem probaverint, Deum in ſe ſimpliſiſſimum, & infinite perfectum, diviſibilē eſſe juxta gradus: aut ens aliquod verum Deum eſſe poſſe, quod non ſit infinitum, & careat aliquot gradibus perfectionis, quibus Deus alius ſuperior gaudet, ſuæ blaſphemiæ (quam apud imperitos jactant maxime rationabilem eſſe) fundamentum non inconveniens præſtruxerint. Si dicerent, Dominum Chriſtum non Deum eſſe, ſed Dei miniſtrum, plauſibilior eorum ſententia videri poſſet. Sed ita æquipari deberent Gentilibus. De quibus ita Oroſius lib. 6. Hiſt. cap. 1. *Quidam* (inqnit) *dum in multis Deum credunt, multos deos indiſcreto timore finxerunt. Sed hinc jam vel auctoritate veritatis operante, tum ipſa etiam ratione diſcutiente diſceſſum eſt. Quippe cum &*

Philo-

Philoſophi eorum, ut de noſtris ſanctis ſileam, dum intento mentis ſtudio quærunt, ſcrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium repererunt, ad quem unum omnia referuntur: unde etiam nunc pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis quam de ignorantia convincit, cum à nobis diſcutiuntur, non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub uno Deo magno plures miniſtros venerari fatentur. Certe quiſquis rationis modo uſum habet, non poteſt non hoc Gentilium vulgus ultra Socinianos ab ingenuitate commendare. Hos enim ſi audieris, benedictus noſter Salvator Dominus Jeſus Chriſtus referendus erit ad illos Deo, quos Cicero lib. 3. de Nat. Deorum, *adſcripticios* vocat, Græci modo παρεγγραμμένους, modo ἐγγραμμένους, quod conſentientibus illis, qui in magni Jovis ſenatu fingebantur ſedere, inter Deus recepti eſſent. Sed, cum Sociniani Scripturæ filij videri velint, age cum illis ex Scriptura agamus. Sit ergo hoc primum argumentum: *Cui in Scriptura tribuitur citra ullam diſtinctionem aut limitationem nomen veri Dei is eſt verus Deus: At Chriſto nomen veri Dei tribuitur, Ergo.* Et quidem ut incipiamus à V. T. ibi Chriſtus *Iehova* & *Iah* vocatur, quæ nomina nulli perſonæ creatæ tribuuntur. Sic *primo* Num. 21. vers. 5. 6. is quem tentarunt Iſraëlitæ, vocatur *Elohim* & *Iehova.* At Apoſtolus 1. Cor. 10. 9. docet, quòd is fuerit Chriſtus. *Secundo* Pſal. 102. vers. 19. 20. 22. 23. 25. dicitur is, de quo ſermo eſt, Jah, Jehova, El: at vero il-

lum Chriſtum fuiſſe docet Apoſtolus Heb. 1. 10. *Tertio* Pſal. 97. vers. 1. 5. 9. 10. 12. is de quo Propheta loquitur, nuncupatur *Iebova*, at Prophetam intelligendum eſſe de Chriſto, patet Heb. 1. 6. *Quarto* Jeſ. 6. 1. is cujus gloriam Propheta intuitus fuit, vocatur *Adonai*, *Iebova Tzebaoth*, item *Rex Iebova exercituum*, at Joannes cap. 12. vers. 41. teſtatur Chriſtum fuiſſe, cujus gloriam Jeſaias conſpexit. *Quinto* Jeſ. 45. vers. 23. is, de quo agitur, vocatur *Iebova*, *Deus fortis*, cum tamen Paulus Rom. 14. vers. 11. & Phil. 2. vers. 10. doceat iis locis de Chriſto agi. Quod ad N. T. in illo nomina Divina Chriſto tribuuntur non modo in prædicato, ſed & in ſubjecto. In prædicato quidem, Joh. 1. 1. *Eratque ille ſermo Deus.* Rom. 9. 5. *Qui eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſecula.* Tit. 2. 13. *Exſpectantes beatam illam ſpem & illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac ſervatoris noſtri* 1. Joh. 5. vers. 20. *Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* In ſubjecto Col. 2. 9. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* 1. Tim. 3. 16. *Deus manifeſtatus in carne.* Act. 20. 28. *Ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine adquiſivit.* *Secundum* argumentum ſit hoc, cui conveniunt omnia veri Dei attributa, ſpeciatim, æternitas, immenſitas, immutabilitas, omnipotentia, & omniſcentia, is eſt verus Deus. At Domino Jeſu Chriſto conveniunt hæc attributa. *Æternitas* quod Chriſto conveniat, e-

vincunt

vincunt hæc loca. Joan. 1. vers. 1. *In principio erat ſermo ille, & ſermo ille erat apud Deum, eratque ille ſermo Deus.* Joan. 8. vers. 58. *Amen, amen dico vobis, priuſquam Abraham exiſteret ego ſum.* Fatendum quidem eſt, hic non dici expreſſe Chriſtum ab æterno fuiſſe: interim cum dicatur ante Abrahamum fuiſſe, recte inde ejus æternitas inferri poteſt, quia nuſquam juxta illud, quod fuit ante Abrahamum dicitur fuiſſe factus. Fateor ſophiſtas multas nebulas claris hiſce Textibus affundere, ſed illæ tam longe ſunt quæſitæ, & inter ſe contortæ, ut nemo facile, cui tantillum modò judicii ſupereſt, iis debeat moveri. Æternitas amplius Domini Jeſu Chriſti probatur ex his locis: Joh. 17. vers. 5. *Nunc ergo grorifica me Pater apud temetipſum ea gloria, quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet.* Apoc. 1. 17. *Ego ſunt primus ille & ultimus ille, & qui vivo, ſed fui mortuus & ecce vivo in ſecula ſeculorum.* Et de eodem Paulus Col. 1. vers. 17. *Eſtque ipſe ante omnia.* Heb. 7. vers. 3. dicitur *initium dierum neque vitæ finem habere*, ſimiliter Heb. 9. 14. dicitur ſe *obtuilliſſe per Spiritum æternum.* Porro *immenſitas* eidem tribuitur Joan. 3. 13. *Nullus enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, nempe filius hominis qui eſt in cælo.* Matt. 18. vers. 20. *Vbi enim duo vel tres coacti ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et Matth. 28. vers. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Immutabilitas eidem aſſeritur, Pſal. 102.

vers.

vers. 28. *Tu vero idem es, & anni tui non finiuntur.* quæ verba Chriſto applicantur à Paulo Heb 1. vers. 12. Similiter Apoc. 1. verſ. 8. *Ego ſum A & Ω, principium & finis, dicit Dominus, id eſt, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, ille inquam Omnipotens.* Omnipotentia vindicatur Phil. 3. vers. 21. *Qui* Jeſus Chriſtus *transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo, pro vi illa efficace, qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.* Omniſcientia denique tribuitur Joan. 2. vers. 25. *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Joan. 21. vers. 17. *Domine tu noſti omnia.* Apoc. 2. vers. 23. *Et cognoſcent omnes Eccleſiæ me eſſe ſcrutatorem renum & cordium.* Hoc argumentum deſumptum à proprietatibus adeo eſt validum, ut parum quin ipſi Sociniani ei manus dent. Ita enim Smalcius lib. de Divini Chriſti cap. 9. pag. 43. *Quod ſane* (inquit) *quoties apud animum conſidero, ita me percellit, & tantam Ieſu Chriſti Divinitatem teſtatur, ut, quemadmodum nobis per omnia ſimilis quo ad naturam fuerit, ſic Deo per omnia* NB. *ſimilis quoad qualitates & proprietates fuiſſe, dici poſſit.* *Tertium* argumentum pro vindicanda exiſtimatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui omnia debemus, quod illi æternam ſalutem debeamus, deſumitur ab eiuſdem operationibus, reſpondentibus illis operationibus, quas nullus præter eum, qui infinitus, & omnipotens Deus ſit, edere poteſt. *Syllogiſmus* hic ſit: Cuicunque tribuuntur opera ſoli vero & Omnipotenti

Deo

Deo convenientia, is eſt Deus Omnipotens. Atqui, Domino Jeſu Chriſto tribuntur talia opera, Ergo. Major propoſitio uti eſt manifeſta, ita Minor diſtincte eſt probanda. Adeoque opera quæ hic attendi debent, convenienter diſtingui poſſunt in opera Dei interna, & opera Externa. Ad opera Dei interna ut pertinet æterna ſalvandorum Electio, ita illa aperte Dn. Jeſu Chriſto, Filio æterno & unigenito Dei tribuitur, Eph. 1. 4. Ad opera externa quantum, inter illa primo occurrit Creatio, quæ Chriſto tribuitur, nam ut dicitur, Joh. 1. vers. 3. *Omnia per hunc Sermonem facta ſunt, & abſque illo factum eſt nihil, quod factum ſit.* Speciatim ibid. de eodem Chriſto vers. 10. dicitur: *Et mundus per eum factus eſt*· Similiter Col. 1. vers. 16. *Nam per eum audita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive poteſtates, omnia (inquam) per eum, & ejus reſpectu condita ſunt.* Heb. 1. 2. *Per quem etiam Mundum condidit.* aut, ut in Græco eſt, τοὺς αἰῶνας. Item Pſ. 10. 2. vers. 26. comparato cum cum Heb. 1. 3. *Tu initio, Domine terram fundaſti.* Ut vero eſt Deus creator, ita talis agnoſci debet per continuationem, quatenus omnia, creata ſuſtentat; Sed Filio quoque Dei hæc ſuſtentatio tribuitur. Coloſ. 1. 17. *Eſtque ipſe ante omnia, & omnia per ipſum conſiſtunt.* Item Heb. 1. vers. 3. *ſuſtineatque omnia verbo illo ſuo potente.* pariter Joh. 5. vers. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur,*

ratur, & ego operor. & vers. 19, *quæcunque enim ille* (Pater) *facit, hæc etiam filius pariter facit.* Qui duo poſteriores loci cum ſint generales, non modò evincunt Filio opus ſuſtentationis rerum competere, verum etiam omnia opera, quæ ſunt Patri, de cujus vera Deitate non controvertitur, ſunt eſſentialia. Ad opera hujus ordinis pertinet quoque miraculorum perpetratio, quæ cum Chriſtus non aliena virtute, & tanquam cauſſa moralis (cujus rationem Apoſtoli habuerunt) ſed ſua virtute perpetrarit, meritò Verus, infinitus, & Omnipotens Deus haberi debet. Miraculorum maximum eſt mortuorum excitatio:quam Chriſto competere,certò credendum eſt, quum ipſe dicat, Joan. 5. vers. 21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius, quos vult, vivificat.* Suſcitat autem Chriſtus mortuos non modo ad vitam temporalem, ut evincit exuſcitatio Laſari è mortuis, Joan. 11. vers. 43. & 44. ſed etiam ad vitam æternam, unde ipſe dicit Ioh. 6. vers. 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, ut quiſquis conſpicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ſuſcitem ipſum ultimo illo die.* Unde & Joh. 11. 25. Vocatur *reſurrectio & vita*, quòd ſit Author utriusque. *Quartum* argumentum pro vera & æterna Deitate Domini Jeſu Chriſti, omnium horum conſequens ſuppeditat. Nam quia Chriſtus gaudet nominibus Deo propriis, omnia Dei Patris attributa habet, & ſimul edit opera omnia,

nia,

nia, quæ eidem ſunt eſſentialia: pariter eſt adorabilis, & quoniam eſt adorabilis, eſt verus Deus. Argumentum ergo *quartum* informa ſit hoc: Qui eſt adorandus cultu religioſo, is eſt verus Deus. Dominus Jeſus Chriſtus eſt adorandus cultu religioſo. Ergo. De Majori propoſitione non licet ambigere. Ita enim dicitur Jeſ. 24. 8. *Ego ſum Iehova, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.* & 48. vers. 11. *Et gloriam meam alteri non dabo.* Minor propoſitio pariter è Scriptura patet. Nam ea cultum religioſum Chriſto vindicat *primo* generaliter, ut Joan. 6. vers. 23. *Vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.* Specialiter *ſecundo* ut Pſ. 97. 7. juncto Heb. 1. 6. ubi adoratio Chriſti angelis imperatur. Item Apoc. 5. vers. 11. 12. 13. ubi eum omnis creatura adorat. vers. 13. ſic legitur: *Sed & res conditæ, quæ in cælo ſunt, & quæ in terra & ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt omnia, audivi dicere ei, qui inſidet throno, & agno: benedictio, & gloria, & robur in ſecula ſeculorum, Amen.* Act. 7. vers. 59. & 60. Stephanus dicit: *Domine Ieſu recipe ſpiritum meum.* & *Domine ne ſtatuas eis hoc peccatum.* Idem confirmatur ex omnibus illis locis, in quibus fides & ſpes in Chriſtum collocanda præcipitur, Joan. 14. 1. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Pſal. 2. vers. 12. *Beati omnes, qui ſe recipiunt ad eum.* 1. Cor. 15. 19. *Et ſi in hac vita tantum ſperamus in Chriſtum.* Denique idem patet ex Matt. 28. 19. *Docete omnes*

gentes,

gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Ne vero Chriſtus æqualis ſit Deo Patri juxta Divinam naturam ita inſurgit Suickerus in Nova Confirmatione Irenici Irenicorum pag. 104. *Chriſtus* (inquit) *æqualis cum Patre nulla ratione eſſe poteſt, Chriſto ipſo ita cenſente & pronunciante Ioh. 14. vers. 28. Nam pater major me eſt.* Sed, cui non notum eſt, committi hic fallaciam à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Neque enim Chriſtus Patrem Majorem ſe agnoſcit ſimpliciter, & quatenus tum filius Dei, tum filius hominis eſt, ſed duxtaxat, quatenus filius hominis eſt. Nam ſic minor eſt Patre, qui tantum eſt Deus, non vero θεάνθρωπος, &, qui ſe non exinanivit ut Filius, de quo expreſſe Paulus Phil. 2. vers. 6. *Qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam, parem eſſe cum Deo; ſed ſeipſum exinanivit ſervi forma accepta, ſimilis hominibus factus.* Quem illuſtrem Apoſtoli locum idem ille pag. 358. ita detorquet: *Quid ni* (inquit) *locus Phil. 2. vers. 6.* ubi *Chriſtus* (qui NB. homo erat, in forma Dei conſtitutus, adeo ut & tunc quoque adoraretur, Deum Patrem repræſentaret, Joh. 14. vers. 9. Deuſque diceretur; imo deſignatus jam à Patre omnium Rex & Dominus eſſet, ita tamen ut Patri adhuc obedientiam uſque ad ignominioſiſſimam crucis mortem præſtare deberet Luc. 24. 26. Heb. 12. 2.) *non rapinam arbitratus eſſe dicitur, parem* in poſterum (nam de ea gloria hic agitur, quam homo

homo Chriſtus *nondum*, & noñniſi in prædeſtinatione, habuerat aut acceperat, quumque *poſt mortem demum* conſecutus eſt) *eſſe cum Deo, ſed ſemetipſum* (vel ea, quâ jam tum præditus erat, majeſtate) *exinanivit, formam viliſſimi ſervi accipiendo, ſeſeque cædendum, conſpuendum, imo & viliſſimo mortis genere enecandum, hominibus tradendo*: quid ni, inquam locum hic, ubi talia de Chriſto dicuntur, *nulla ratione de abſoluta paritate ſeu æqualitate Chriſti cum Patre agat*? ſed tantum de reſpectiva, limitata, aut in tempore demum tradita & conceſſa, imo, aliquando etiam finienda. Vide 1. Cor. 15. vers. 24. 27. 28. Et proinde locus ad Philippenſes, minime omnium id dicit, Comeni, quod tu vis? Sed prorſus adhuc verum eſſe relinquit, quod Chriſtus Joh. 14. dixerat: *Pater major me eſt*. Etiam ſecundum ipſius Irenæi ſententiam. *Reſp*. Inſpiciatur modo locus Phil. 2. 6. & attendatur Pauli ſcopus, atque omnia erunt ſalva: Pauli ſcopus eſt, Philippenſes monere, ut ſint humiles, proponitque exemplum Chriſti, quod is cum in forma Dei eſſet, ſe exinaniverit formam ſervi aſſumendo: at ſi intelligi debet gloria quam poſt mortem Chriſtus demum acceperit, Chriſtus humiliaverit ſe intuitu gloriæ, quam accepturus demum eſſet; & ita ſimul Pauli ſcopo contradicetur: 2. Dilutum eſt dicere, Chriſtum dici fuiſſe in forma Dei, quòd *deſignatus jam à Patre omnium Rex & Dominus eſſet*, hac enim ratione

contradicitur iterum Pauli ſcopo. Hæc enim non fuiſſet humiliatio vera, ſed tantum præparatio ad gloriam. Dicit ſiquidem hoc loco Apoſtolus expreſsè: *Cum eſſet*. Prout dicitur de eodem 2. Cor. 8. 9. *Ieſus Chriſtus, cum dives eſſet, propter nos pauper factus eſt*. Erat vero dives reipſa, non vero deſtinatione ſolum. Scilicet, intelligit Apoſtolus, cum meminit formæ Dei, æternam Chriſti gloriam, quæ ad tempus aliquod latuit & occultata fuit. Unde & ipſe Chriſtus dicit Joan. 17. 5. *Glorifica me, Pater, ea gloria, quam habui apud te* (verè ſcil.) *priusquam mundus eſſet*. Ubi ſi quis deſtinationem ſolummodo gloriæ pariter voluerit fingere, non modo ſe ineptum, ſed & ridiculum exhibebit. 4. Forma ſervi ſufficienter accipi debet de conditione Chriſti, ut humiliati. Duplici enim ratione humiliavit ſeſe Dn. Jeſus Chriſtus Deus æternus & Patri ſuo æqualis. 1. Per incarnationem. 2. Per abjectiſſimas paſſiones, eaſque plane ſerviles, quas in carne ſuſtinuit. Conjungere hæc convenit, non vero dividere: aut verius, cum Zuickero poſteriorem humilitationem ita duntaxat conſiderare, ut prior agnoſcatur gradus ad Chriſti Deificationem. 5. Quæ videtur innuere de deſitura Chriſti gloria & potentia, adducto quoque loco Pauli 1. Cor. 15. vers. 24. 25. & ſeqq. curari non debent. Ipſe vero cogitare debuiſſet, prædictum fuiſſe per Jeſajam cap. 9. vers. 7. *Amplitudini illius principatus & pacis non erit finis, in*

nis, in ſolio Davidis, & in regno ejus, ſtabiliendo illud, & fulciendo illud jure & juſtitia, ab iſto tempore in ſeculum uſque. & per Danielem, cap 7. vers. 14. *Et huic datus eſt dominatus, gloriaque ac regnum, ut omnes populi, nationes, & linguæ ei ſerviant. Cujus dominatus eſt perpetuus, qui non præterit: & regnum ejus, regnum quod non corrumpitur.* Quod & Deus voluit repeti per Angelum Gabrielem, qui dixit ad Mariam virginem Luc. 1. vers 33. *Regnabitque in domo Iahakobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Unde & Paulus quoque idem repetit ex Pſal. 45. vers. 7. ad Hebr. 1. vers. 8. *Ad Filium autem* (dicit) *Thronus tuus, in ſeculum ſeculi.* Ex quibus facile patet 1. Cor. 15. non innui abolitionem regni Chriſti, ſed certam duntaxat ἀλλοίωσιν. Nam hoc intendit Apoſtolus probare, Dominum Ieſum Chriſtum, qui unum corpus cum membris ſuis Myſticis conſtituit, ſe non ſolum ſubjecturum Patri ſuo: ſed & Eccleſiam, (quæ eſt Myſticum ſuum corpus) poſtquam omnes hoſtes, Diabolum, mortem, peccatum, & mundum plene ſubegerit, cum hactenus ipſe non quatenus Deus (ſic enim eſt Patri ὁμοούσιος) ſed duntaxat quatenus homo, Patri ſuo ſubjectus ſit. Interim tamen licet alius tum ſit futurus regiminis modus, perpetuo & ſine fine (prout patet ex dictis Textibus) agnoſcetur Dominus & caput Eccleſiæ ſuæ, prout Eccleſia, triumphans licet, eum in æternum venerabitur ut Dominum & Regem ſuum. At quum hoc

jam agere decreverimus ad honorem Domini Jeſu Chriſti, atque in nomine ipſius, impuriſſimi hujus Zuickeri blaſphemias porro contundamus. Qui non dubitat in Continuatione Irenici pag. 18. *ita ſcribere*: An non vos (*intelligit Orthodoxos*) ij eſtis, qui gloriam Dei, quam Deus alteri *dare non vult*, *neque poteſt*, id eſt, ſuperioritatem dationis gloriæ aut regni, ſeu, ſummam & ex acutiſſimam cum Deo æqualitatem, contra expreſſa loca, 1. Cor. 15. 27. 28. Joh. 14. 28. Chriſto datis & tribuitis? Nam hoc ipſum illud eſt, propter quod ego periculum in vulgata veſtra ſententia innuebam, nimirum, quòd ipſo Meiſnero in libro contra Socinum, indicem pag. 77. aſtipulante, in illa veſtra ſententia ſi falſa ſit, (quemadmodum quidem omnino falſa eſt) aperta & manifeſta idololatria reperiatur, dum is, qui ſummus Deus non eſt, pro ſummo tamen colitur & habetur. *Hæc ille.* Reſp. 1. Thraſoniſmus hominis non curandus. An falſa ſit noſtra ſententia, judicetur ex argumentis, quæ licet arrodant & labefactare Sociniani allaborent, nunquam tamen evertent. 2. Ad loca Joh. 14. 28. & 1. Cor. 15. 27. (quæ ſuggerunt homini huic palmaria argumenta) jam reſponſum eſt. Ipſe viderit, an quæ diximus, enervare cum ratione queat. 3. Ut per calumniam, in præjudicium æterni Dei, Domini JeſuChriſti nobis idololatriam explicat; ita centuplo majorem idoloatriam com-

mittit

mittit; modo Chriſtum, ex ſuo ſenſu hominem cultu religioſo afficiat, an enim adoret eum, & tali cultu afficiat, plane ambigo. Nam ipſius Doctor Socinus Chriſto cultum adorationis denegat, in Theſibus adverſus Franc. Davidis pag. 172. ita loquitur: *Quandocunque vocabulum invocationis pro cultu & fiducia accipitur, quâ petimus à Deo bona corporalia & ſpiritualia, Chriſto invocationem in Scriptura attributam fuiſſe non legitur.* Cultum quidem deferre videtur Zuickerus, ſed non talem, qualem Deo Patri. Nam hæc apud ipſum *offendo*, *pag* 17. An ego gloriam Dei, quam Deus alteri dare *nolit*, Chriſto do aut tribuo? & non potius illam, quam Deus omninò Chriſto dari & tribui *velit*? Nam utrumque dixit Deus & 1. homines NB. *ſervituros* eſſe Jehovæ Deo ſuo, & NB. *Davidi Regi ſuo, quem Deus adbuc excitaturus eſſet*, Jer. 30. vers. 9. & 2. ſe gloriam ſuam alteri non eſſe daturum. Eſ. 42. v. 8. utrumque ergo verum? Utrumque credendum! ſed hoc, reſpectu Idolorum, (quemadmodum etiam mox additur *& laudem meam ſculptilibus*; ſcilicet, non dabo;) illud verò *reſpectu Chriſti*; *prout Euangelium teſtatur*. *Hac ibi.* Adeoque Chriſtum debebimus juxta hunc hominem, duntaxat adorare ut hominem à Deo Patre exaltatum. Sed an non expreſſe dicit Scriptura Joh. 5.23. *Vt omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem?* Convenit vero inter nos Patrem honorari ut æternum, infinitum, &

 omni-

omnipotentem Deum: adeoque ſic debemus cenſeri adorare quoque Filium. Unde & in Scriptura cultus religioſus conjunctim Patri & Filio deferri ſolet. 1. Theſ. 3. 11. *Ipſe vero Deus Pater, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos.* 2. Theſſ. 2 6. *Ipſe vero dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus ac Pater noſter dirigat vos in omni ſermone.* & 2. Joh. 3. *Gratia, miſericordia, & pax à Deo patre, & à domino Ieſu Chriſto, Filio Patris ſit vobiſcum.* Pſalmum 95. ad Chriſtum pertinere abunde innuit Paulus 1. Cor. 10. 9. & 3. 7. Sed in eo fideles, ita ſe exhortantur: *Agite cantemus Iehovæ, clangamus rupi ſalutis noſtræ.* Rationem vero hanc addunt vers. 3. 4. *Quia Deus magnus eſt Iehova, & Rex magnus ſupra omnes Deos. Quia in manu ejus ſunt ima terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.* & vers 7. *Quia ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſcuorum ejus, & grex manus ejus.* Nec ulla ſpecie Θεομάχῳ favere poteſt Jeremias: nam quanquam tum ibi, tum alibi Meſſias David vocatur, quòd ſecundum carnem ex ſemine Davidis naſciturus eſſet: neutiquam tamen inde ſequitur eum ante incarnationem non fuiſſe: nam ita eſt David, & Davidis filius, ut etiam ſit Dominus Davidis, Chriſto ad ἐχεμυθίαν Phariſæorum hoc demonſtrante Matth. 22. vers 44. & ſeqq. Ut porro probet Chriſtum ſolummodo Deum *aſſcriptitium* eſſe, pag. 411. *ita cornicatur*: Quoad vocem Filij Dei adferebam 1. quod Chriſtus ſemet-

ſemetipſum Joh. 10. 35. 36. *propterea Filium Dei appellaſſe, filiumque ejus eſſe dixerit, quia à Patre,* tum in ipſo, puta, nativitatis ſuæ primordio, tum in baptiſmo, *ſanctificatus, inque mundum, à ſe adulto, nunc docendum reformandumque miſſus eſſet;* adeoque QUATENUS HOMO eſſet. Et 2. quod idem Chriſtus, Joh. 9. 35. 36. 37. cæcum natum, adeoque te & me, Comeni, omneſque alios Chriſtianos NB. *in* TALEM *filium Dei credere juſſerit, quem is* corporeis ſuis oculis coram ſe ſtantem, UT HOMINEM, *vidiſſet, quique ſecum* UT HOMO *loqueretur, & mox ab eodem cæco,* ita edocto, *adoratus ſit;* qui proinde iterum nullus alius, quam HOMO JESUS CHRISTUS eſſe poſſit. *Hac noſter.* Sed phaleras has parum juvare, liquebit, ſi diſcuſſæ fuerint. Joh. 10. cum Chriſtus blaſphemiæ argueretur, à Judæis, quòd ſe filium Dei feciſſet, vers. 34. & ſeqq. ita illis reſpondit: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, ego dixi Dii eſtis. Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: Mene; quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin vero illa facio, etiamſi mihi non credatis, operibus tamen credite: ut cognoſcatis & credatis Patrem in me eſſe, & me in eo.* Quibus verbis, ut depellit calumniam, ita in illis notari poſſunt duo argumenta, quorum prius eſt ἀνασκευαστικὸν, diluens blaſphemiam, alte-

rum κατασκευαστικὸν, probans conrroverſam aſſertionem. *Prius eſt tale*: Si Scriptura Magiſtratus appellat Deos, ad quos Dei ſermo factus eſt, dum divinum munus illis eſt commiſſum (Deut. 1.17. 2. Chron. 19.6.) citra blaſphemiam (hoc enim videtur innui illa Phraſi, quâ dicitur Scripturam proinde non ſolvendam aut abolendam eſſe, Matt. 5. 17.) multo minus vos dicere poteſtis de illo, quem Pater ſanctificavit, ſive mediatorem conſtituit, & adhoc munus exequendum in mundum miſit, quòd blaſphemiam commiſit, cum ſe Filium Dei dixit. At prius verum eſt: ut conſtat ex Pſ. 82.6. in quo dicitur: *Ego dixi, Dii eſtis*. Ergo & poſterius. Aſſumptio præcedit vers. 34. figurata interrogatione, quæ æquipollet ſimplici aſſertioni. *Poſterius argumentum eſt ejuſmodi*: Si facio opera Patris, credite me eſſe in Patre & Patrem in me, ſive, ut dixerat vers. 30. *me & Patrem eſſe unum* ſc. eſſentia. ut Diatriba proxima evincetur. Sed verum prius, Ergo & poſterius. Propoſitio hujus Syllogiſmi ſola extat vers. 37. & 38. illuſtrata à contrario: Si non facio opera vere divina, qualia indubitato ſunt Patris, ne credite: Sin facio, ipſis operibus fidem adhibete, ſi mihi illam denegetis. Hæc duo argumenta diverſæ conditionis, non confundenda, ſed diſtinguenda ſunt. Nam vers. 35. & 37. non probat ſuam Deitatem, nec illius rationem explicat, ut vellet Zuickerus,

ſed

ſed duntaxat occurrit crimini blaſphemiæ à Judæis per blaſphemiam ſibi intentato. Cum Deitatem ſuam probet ex ſuis operibus verſ. 37. & 38. inferendo, *credite me eſſe in Patre, & Patrem in me*. Quem locum conſiderans Auguſt. Tract. 48 in Johannem, *ſequentia habet*: Non ſic dicit (*inquit*) Filius, in me eſt Pater, & ego in illo, quomodo poſſunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo ſumus: &, ſi bene vivamus, Deus in nobis eſt: fideles participantes ejus gratiam, illuminati ab ipſo in illo ſumus, & ipſe in nobis: ſed non ſic unigenitus Filius; Ille in Patre & Pater in illo tanquam æqualis in eo, cui eſt æqualis. Denique nos aliquando poſſumus dicere: in Deo ſumus, & Deus in nobis: Ego & Deus unum ſumus, numquid poſſumus dicere. In Dèo es, quia Deus continet te: Deus eſt in te, quia templum Dei factus es: ſed numquid quia in Deo es, & Deus in te, potes dicere, qui (Joh. 14. 9.) me videt, Deum videt, quomodo Unigenitus dicit, qui me videt; & Patrem, videt: Ego & Pater unum ſumus. Agnoſce proprium Domini, & munus ſervi. Proprium Domini eſt æqualitas Patris: munus ſervi, eſt participatio Salvatoris. *Hæc Auguſtinus*, cujus pia & nervoſa *παράφρασις*, longè præferenda eſt jejunæ & ambiguæ illi, quam habet Grotius ad vers. 36. ubi hæc offendo: *Refellit calumniam, quaſi diceret: quòdquid divini mihi tribui, non id feci me opponens Deo, ſed eum*
 ut ſon-

ut fontem agnoſcens, (periculoſe dictum) *quod oſtenditur ipſis vocibus patris & filij, quas uſurpavi.* Nec cæcus quoque advocatus ex Euangelio Johannis cap. 9. præjudicare poteſt Deitati veræ Domini Salvatoris Ieſu Chriſti. Nam quando Chriſtus ſe ipſum illi revelavit juxta humanam naturam, dicendo vers. 37. *Et vidiſti eum, & is eſt, qui loquitur tecum*, amplius ratione mentis eundem illuminavit, nam vers. 38. dicitur *in Chriſtum crediđiſſe & adoraſſe*: quòd per cooperationem Sp. Sancti cognoſceret non modo ut filium Mariæ, ſed amplius, ut Filium Dei, quod rogaverat vers. 35. cupiens ſic noſſe *Filium Dei*, ut ſimul in *eum quoque crederet*. Nam eo ipſo quod credendo in Chriſtum, eum adoraverit, certiſſimo eſt argumento, agnoviſſe verum & æternum Dei filium eſſe. Nam, haut magis putandum eſt, cæcum duntaxat adoraſſe, quòd videbat in Chriſto: quam Johannem voluiſſe *verbum vitæ* ſola humana natura circumſcribere, quando Epiſt. 1. cap. 1. vers. 1. ſe manibus illud contrectaſſe teſtatur. Quicquid cornicetur hic homo, mihi per Dei gratiam placebit ſemper Orthodoxorum ſententia, qui ex hoc loco collegerunt Mariæ Filium, ſimul eſſe æternum æterni Dei filium, quod in eum credatur, ipſeque adoretur à cæco. In quem enim creditur, is eſt Deus. Unde & Chriſtus exegit in ſe, ut Deum, fidem, dicens: Joh. 14. 1. *Creditis in Deum? & in me credite.* Quaſi dice-

ret;

ret: Tum demum vere creditis in Deum, quum in me credideritis. Similiter nemo eſt adorandus niſi Deus, in quem creditur. Unde Paulus dicit Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderint?* Quis autem ſit invocandus, ibidem docet, dicens: *Quicunque invocaverit nomen Domini* (Jehovæ) *ſalvus erit.*

DIATRIBA TERTIA.

Qua ſpecimen exhibetur, ſophiſticarum ineptiarum & cavillationum, quibus Sociniani & ſpeciatim Zuickerus obſcurare laborant, claros Scripturæ Textus, quibus vera & æterna Deitas Dn. Ieſu Chriſti aſſeritur. Speciatim examinantur loca Ioh. 1, 15. & 8. 58. Ioh. 10. 30. Matt. 28. vers. ult. Heb. 1, 10. Phil. 2. 6, 7, 8. 2. Cor. 8. 9. Heb. 7. 3. & denique Ioh. 17. 3.

QUum Sociniani, quorum impudentiſſimus iure agnoſci poteſt Zuickerus, ſingulari verſutia Scripturæ apertiſſima loca, in præjudicium æternæ Deitatis Jeſu Chriſti conſueverint non modo detorquere, ſed eo nomine ſibimetipſis mirifice quoque placeant: Operæ pretium

tium fuerit, quædam ſpeciminis gratia vindicaſſe. Zuickerus quidem, in nova Confirmat. Irenici Irenicorum pag. 520. non vereconda-tur Dn. Comenio Theologo Orthodoxo, pio, & erudito ita inſultare: *Cæterum* (inquit) *ex quò colligi poſſit, quàm ſis hoſpes in lectione librorum Polemicorum, ecquis hodiernorum Theologorum tecum ignorat* octo tua productaloca (*ſcilicet* Joh. 1. 15. cap. 8. 58. cap. 3. 13. Matth. 28. vers. ult. Heb. 1. 10. Phil. 2. 6,7,8. 2. Cor 8. 9 & Heb. 7. 3.) *& ſi quæ alia adhuc habes, ſi modo de Chriſto dicantur, facile de homine Chriſto, & vel à Trinitariis ipſis* (*tui ſcil. ſimilibus*) *paſſim ita quoque explicari? Nam* primum *locum, quem tu ita citas, ac ſi Baptiſta dixiſſet*: Chriſtus ante me fuit: *Beza ipſe cum multis aliis, Græcam phraſin* (ἔμπροσθέν μου) *attendentibus, ita vertit & explicat*: (*Chriſtus*) Antepoſitus eſt mihi, ſeu, ante me factus eſt, quia præſtantior me erat. *En, quomodo Beza ipſe, vi Græci Textus, locum tuum primum reddiderit, ut* conſiderationi ſubjecti, *ſcilicet*, hominis Chriſti, qui in loco parellelo verſu 30. *expreſſe* VIR *dicitur, expoſitio reſpondeat. Nam* prioritatem Chriſti non ad tempus, ſed ad dignitatem ejus hic referri, *in annotationibus marginalibus ait. In quo Eraſmum prorſus conſentientem habet, qui in Annotationibus ſuis, Chriſtum itidem Iohannem* autoritate antevertiſſe *exponit*, eo quod potior fuerit. *Quod ipſum ſi tu noviſſes, Comeni, nunquam hunc locum mihi* (*credo*) *oppoſuiſſes.* Reſp.

1. Quis

1. Quis ſe contineat, quin zelo ſacro inflammatus dicat *increpet te Dominus*! Jud. vers. 9. quod homo hic, qui Chriſto veram ſuam Deitatem quacunque arte detrahere laborat, genuinis illius filiis, qui eum ut Patri ſuo per omnia æqualem invocant, ut *Trinitarios* probroſe traducere ſuſtineat? 2. Homo hic argumentatur ab humana authoritate, &, quod quædam Scripturæ dicta, ab alijs ſequius ſint expoſita, quam ab ijs, qui per ea veram & æternam Deitatem Domini Jeſu Chriſti aſtruere laborarunt, colligit non modò illa ſic explicanda eſſe, verum etiam male ex Scriptura aſtrui, Chriſtum verum, æternum, & Patri coëſſentialem Deum eſſe. Verum, quid ſi paucis interpretibus, nubes interpretum qua antiquorum, qua recentiorum opponeremus, an nobis fidem haberet? 3. Sed, ut accedamus ad locum Joh. 1.15 patimur hactenus τὸ ἔμπροσθέν μου cum Beza cui aſtipulantur quoque Liranus & Jeſuita Maldonatus: Imo ex Patribus Auguſtinus, Chryſoſtomus & Theophylactus, intelligi de prærogativa dignitatis: interim tamen ſufficiens eſt, junctus alijs locis, ad probandam æternam Deitatem, & infinitam præcellentiam Dn. Jeſu Chriſti. Θεομάχος provocat ad Bezam, qui (patet ſi conferantur variæ Editiones Annotationum ipſius in N. T.) ut ſibi non conſtitit in explicatione hujus loci, ita in majoribus Annotationibus tertiæ Editionis hæc habet,

Declarat

Declarat igitur (inquit) *praſtantiam, ſed Chriſti peculiarem, & propriam ipſi uni ratione: nempe, quaſi diceret Iohannes, Qui me ſequitur quaſi Magiſtrum praeuntem diſcipulus quiſpiam, mihi antepoſitus eſt, idque optimo jure, quia infinitis modis praſtantior: quamvis ante docere caeperim, quàm ille ſeſe mundo patefecerit. Erat enim jam tum, quum ego inciperem exiſtere, Deus videlicet aeternus, ſicut poſtea diſerte expoſuit, infra vers.* 30. *&* 3. 31. *hunc locum velut interpretans.* Atque, ſi comparetur hic locus Johannis cum loco παραλλήλῳ Matthæi, cap. 3. vers. 11. *Is, qui pone me venit, validior* (ἰσχυρότερος) *me eſt, cujus non ſum dignus, qui ſoleas portem*; minus difficultatis erit. Nam Johannes Chriſtum vocando ἰσχυρότερον, infinitam diſtantiam inter ſe & Chriſtum innuit. Voluit enim Johannes Chriſto teſtimonium dare veræ Deitatis. Quæ eſt omnium Patrum (eorum quoque qui dignitatis præcellentiam innui putant) communis interpretatio. *Atque* (ut uſurpem verba Zanchij lib. 5. de Tribus Elohim cap. 1.) non video cur ab illa *debeam aut meritò poſſim recedere: Quando, praterquam quòd conſentanea eſt, cum aliis Scripturis, & cum analogia fidei: maxime etiam congrua eſt cum propoſito tam Iohannis Euangeliſta, qui citat hoc teſtimonium: quàm Iohan. Baptiſta, qui palàm & diſerte proteſtatur, Ieſum Chriſtum omnibus modis ſe eſſe majorem: quando denique nulla vis fit, aut Grammatica, aut praſenti contextui. Multis igitur rationibus adducor,*

adducor, ut Patrum interpretationem ſequendam eſſe cenſeam: neque ab Hæreticis, ulla ratione, poſſe refutari, contendam. Principio neceſſe eſt: ut teſtimonium imprimis Iohannis Baptiſtæ, quod priore etiam loco Euangeliſta profert in medium: conſentaneum, ſit cum illa Iohannis Euangeliſtæ doctrina, cujus confirmandæ cauſa, tam hoc, quam reliqua omnia teſtimonia citantur. Quid autem obſecro præmiſit de Chriſto ipſe Iohannes Euangeliſta? Principalis propoſitio de illo Λόγῳ, *quem poſtea dixit factum eſſe carnem, & quem Baptiſta vocat Chriſtum: hæc fuit.* In principio erat Λόγος: & hic Λόγος erat apud Deum: & hic Λόγος erat Deus. *Tria hæc membra ita ordinata ſunt inter ſe: ut ſemper inſequens, clarius præcedente, explicet naturam* τȣ Λόγȣ. *Nam primo membro aſſeritur ejus æternitas: Secundo, ejus diſtinctio, & vera etiam unitas cum Patre: Tertio, apertè ipſius Deitas explicatur.* Quibus, ut aliquid de meo ſuperaddam, & amplius vindicem præſentem Johannis locum; quanquam Beza illud ἔμπροσθεν retulit ad dignitatem, vertendo *antecesſit me*, (in prioribus Editionibus verterat ante me fuit) quod in libris N.T. ἔμπροσθεν non aliter accipiatur quam de ſitu loci; recte tamen obſervavit ὁ πάνυ Dn. de Dieu, apud LXX. interpretes de tempore ſæpe dici, ut Iud. 23. ὄνομα τῆς πόλεως ἦν ἔμπροσθεν Λȣζά. &, 1. Reg. 3. 12. ὡς σὺ ȣ̓ γέγονεν ἀνὴρ ἔμπροσθέν σȣ. Adeo ut convenienter hic admitti poſſet prior Bezæ verſio, cum qua teſte Dn. de Dieu conſentiunt

Syrus

Syrus & Arabs. Similiter Vulgatus habet: *ante me factus eſt*. Eraſmus optime, *anteceſſit me*: (mirum, Zuickerum Eraſmum pro ſe adducere) quibus conſentit Lutherus. Imo ipſe Caſtalio habet, *qui ante me fuit*. Grotij gloſſa Sociniano noſtro magis favet: eſt enim hæc: *Prælatus mihi eſt, deſtinatione Divina ſcil. quia per hunc Deus voluit tollere peccata mundi, judicare mundum, Act. 2. 12. & 10. 42. Sic Geneſ. 49. 20. ubi Iacobus dicitur Ephraimum ante poſuiſſe Manaſſi, in Græco, eſt*, ἔθηκε τὸν ἐφραὶμ ἔμπροσθεν τοῦ Μανασσοῦ. At locum hunc Moſis, non favere, idem de Dieu obſervavit, cujus hæc verba: *Primarius ſenſus* ibi non eſt metaphoricus, ſed proprius. Præcedit enim Jacobum dixiſſe Joſepho, *Benedicat per te Iſrael: ponat te Deus ſicut Ephraim & ſicut Manaſſe: In ea enunciatione commemoravit Ephraimum ante Manaſſe. Adeo, ut* ante *temporis ibi rationem habeat, aut certe loci quem in eo effato occupavit Ephraim ante Mannaſſem. Inde ſecundario colligitur dignitas*. Adeoque cum ἔμπροσθεν nullibi directe reſpectum habeat ad dignitatem; prior Bezæ interpretatio poſterioribus curis habenda potior eſt. At dato, ut videtur pertinaciter velle Zuickerus, (quô poſſit falſam ſuam Theſin διαφυλάττειν) ἔμπροσθεν reſpicere dignitatem, ſeu præſtantiam, præ Johanne tamen Baptiſta Dn. Jeſus Chriſtus cogitandus fuerit excellentior non modo ut homo, ſed ut Deus æternus. Chriſto ſecundum carnem cum Johanne Baptiſta commune

mune eſt, quod natus ſit è muliere: at Chriſti hoc eſt teſtimonium de Johanne, quòd *inter genitos è mulieribus non ſit ſuſcitatus quiſpiam major Iohanne Baptiſta*, Matt. 11. 11. Johannes vero de Chriſto viciſſim aperte teſtatur, quod ſe ἰσχυρότερ☉ fuerit. Quis ergo hinc non concludat, Chriſtum & Johanne Baptiſta & omnibus hominibus longe excellentiorem eſſe, hoc eſt, Æternum Deum. Secundus locus, quem, ne faveat Orthodoxis, pervertere laborat homo noſter, eſt decantatus ille Joh. 8 vers. 58. *Amen amen dico vobis, priuſquam Abrahamus exiſteret, ego ſum.* De quo ita noſter pag. 521. *Alter* locus, (inquit) Joh. 5. 58. non modo ſupra §pho 189. de humana Chriſti natura expoſitus eſt, ſed & à Pontificiis ipſis, monſtrante Dorſcheo, in Detect. malæ fidei Papalis pag. 518. 519. &c. *pro natura ſubjecti*, ſcilicet, hominis Chriſti, explicatur. Ita enim Dorſcheus pag. 531. tandem concludit: Juxta Picum igitur, (Mirandulæ Comitem) *Chriſtus erat antequam Abraham eſſet in figura operum quarti diei, & ita viſus ab Abrahamo.* Sed & pag. 518. idem Dorſcheus *hunc locum à Pontificiis labefactari ait*, *NB. dum de prædeſtinatione, & præfiguratione Chriſti, ſua in hac materia ſomnia proponant.* En ergo & alterum locum, ſecundum naturam Chriſti hominis ab authoribus explicatum! *Hæc ibi.* Mirum vero, ab eo non urgeri Gloſſam, quæ jam olim placuit Lælio Socino, & qua acutiorem

nunquam homini in mentem veniſſe jactat Fauſtus de exiſtentia Dei contra Eraſmum Johannis arg. 40. quæ hæc: *Amen dico vobis, priuſquam Abraham fiat: ſcil. Pater multarum gentium: hoc eſt, antequam regnum cælorum ad gentes, quæ jam per fidem Abrahami filij ſunt facta, transferatur:* Ego Sum, *nempe* Lux mundi, *hoc eſt Meſſias.* Reſpondeo ordine: Pici Mirandulani Gloſſa haut quaquam probanda, nam ex ſomnijs Caballiſticis hauſta fuit. Unde inter Concluſiones ipſius portentoſas, quæ ordine eſt xv. ita concepta fuit: *Niſi nomini Abraham He litera addita fuiſſet, Abraham non generaſſet.* Neſcio vero quinam illi potuerint ex Pontificiis eſſe, (Dorſcheus illos nominat) qui hunc locum de Chriſto mero homine intellexerint. Maldonatus haud infimi ſubſellij inter Portificios, atque ex ordine Jeſuitarum, in Commentario *ſequentia habet*: Chriſtus non de humano, ſed divino reſpondit die: *Antequam Abraham fieret, ego ſum:* quod videtur ſpeciem Sophiſmatis habere. Cæterum non ſophiſtice, ſed valde prudenter id à Chriſto factum eſt; non enim ad verba, ſed ad Judæorum animum reſpondet. Nam cum negant, *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* de illo tanquam puro homine loquuntur, qui ante quinquaginta annos nondum extitiſſet. Docet ergo errare eos: nam quamvis, ut homo erat, nondum quinquaginta haberet annos, tamen eſſe præterea

terea Deum, qui ante omne tempus extiterit. *Hæc Maldonatus.* Adverſus violentam Lælii Socini gloſſam, Textui non minus, quam Chriſti ſcopo per omnia adverſantem plura non adfero, quod pleniſſime & ſufficientiſſime hoc fuerit factum à Reverendo D. Becmanno exerc. VI. Hoc notaſſe ſufficiat, & Lælii, & reliquorum Socinianorum gloſſam Textui, atque ſcopo tum Chriſti, tum adverſariorum ipſius, è diametro adverſari, quod in proclivi eſſet oſtendere, ſi tale aliquid urgeret Zuickerus. qui, cum argumentando ab humana auctoritate duntaxat, hunc locum nobis & Orthodoxis omnibus, voluerit eripere, ſufficienter hactenus eidem ſatisfeciſſe videmur. Accedo ad celebratiſſimum locum Joh. 10. 30. quo, cum Chriſtus dicat: *Ego & Pater unum ſumus.* Ne poſſit hinc colligi Deum Filium eſſe conſubſtantialem Deo Patri, ita, ad hominem argutans verius, quàm argumentans *inſurgit Zuickerus pag. 359. alloquens Comenium:* Hic locus (*inquit*) adeo nihil pro te facit, ut non tantum Origenes unitatem Chriſti cum Patre, de unitate concordiæ conſenſus & voluntatis, meritò acceperit & explicaverit, (ita ut hinc, quicunque Filium viderit, viderit in ipſo Deum, ut in imagine Dei;) ſed & Calvinus ipſemet ad iſta Chriſti verba ita annotare, teque adeò, ceu diverſum ſentientem, denuò cum veteribus perſtringere auſus ſit, dum ita ait:

Abuſi ſunt hoc loco veteres, ut probarent, Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον. Neque enim Chriſtus de unitate ſubſtantia diſputat, ſed de conſenſu, quem cum Patre habet: quicquid ſcilicet geritur à Chriſto, Patris virtùte confirmatum iri. Hæc Calvinus: Quæ tibi meritò nunc ſufficere debent, cum Scripturis conformia ſint, & tu pro tuâ ſententia, ne unicam rationem in contrarium adferas. Veriſſime enim & optime Valerianus Magnus, tuus olim Antagoniſta in Judicio ſuo de Acatholicorum & Catholicorum credendi regulâ, contra Anonymum agens, cap. 5. ita quoque de hoc Johannis locô ſcripſit. *Hactenus iterum noſter ille Zuickerus.* Sed quantum interim proficit? Vellem equidem, & mecum multi alii, Calvino hæc non excidiſſe. Abſit tamen ut debeat proinde aut fautor cenſeri Socinianorum, aut etiam adæquari Origeni, cujus Theologia quam compoſita fuerit ad Cothurnum, multi ex antiquis quoque Patribus notarunt. Sed, quamvis Calvinus non agnoſcat κατὰ τὸ ῥητὸν dici Filium eſſe τὸν ὁμοούσιον Patri; dum tamen fatetur hic agi de Unitate conſenſus, juxta infallibilem conſequentiam admitti quoque debet Unitas eſſentiæ. Qui enim ratione Dei agnoſcit unitatem voluntatis, omnino agnoſcere quoque debet unitatem eſſentiæ. Si enim voluntas Dei eſt ipſa Dei eſſentia: næ is quoque conſors eſſe debet ejuſdem cum Deo eſſentiæ, qui eſt conſors voluntatis Dei. Non male Ful-

gentius

gentius lib. adv. Arrianos Reſ. ad Object. VII. *Si* (inquit) *hoc in Deo*, (*ſicut certum eſt*) *putatur* Esse *quod* Velle: *dum voluntatis unitas aſſeritur, ſubſtantialis etiam unitas non negetur*. Voluiſſem equidem Calvinus aliquanto clarius ſe expoſuiſſet; ſed, cum tot in locis, ſpeciatim in incomparabilibus Inſtitutionibus oſtenderit, ſe propugnatorem ſincerum & magnum eſſe æternæ Deitatis Domini Jeſu Chriſti, &, uſque ad calumnias ſe oppoſuerit blaſphemijs Hæreticorum, æquum eſt, ea, quæ obſcurius ſunt dicta, ex propria mente, ne quid decedat τῇ ὀρθοδοξίᾳ, interpretari. Interim, licet τῷ πάνυ Calvino non fuerit viſum, ex hoc loco per primam conſequentiam colligi poſſe Chriſtum eſſe Coëſſentialem Patri: Si tamen cum hoc commate trigeſimo, comma XXV. & ſimul attendatur occaſio Diſputationis, quæ Chriſto cum Judæis intercedebat, omnia ſalva futura ſunt. Judæi dubitabant, an Chriſtus foret promiſſus Meſſias, præſupponendo (tanto verecundiores erant Photinianis & Socinianis) debere eſſe verum & æternum Deum. Chriſtus autem v. 25. provocat ad ſua opera, dicendo: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtantur de mei.* ſcil. quod ſim ratione eſſentiæ Patri meo æqualis. Quam argumentationem eſſe infallibilem, inde conſtat, quod cum hoc nomine eſſet blaſphemiæ in Deum Patrem inſimulatus vers 33. Judæis hoſtibus ipſius paratis quoque

ad eum lapidandum; reſpondit verſ. 36. 37. *Me-ne, quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi, Filius* Dei *ſum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi.* Argumentatio autem Chriſti talis eſt: Quiſquis facit opera Patris cæleſtis ſua virtute, is unus eſt eſſentia cum Patre cæleſti. Sed ego hæc opera facio. Ergo, Ego & Pater unus ſumus eſſentia. Minorem Judæi non poterant negare. Majorem quoque certiſſimam eſſe, oſtendit non modo Chriſti ſapientia ita argumentantis; Sed ipſa quoque ratio: quæ cognoſcendam eſſe cauſſam ex ſuis effectis, infallibiliter judicat. Accedo ad locum Matt. 28. 18. circa quem Zuickerus haſce λῃκύθϐς *profundit* p. 233. Patet Chriſtum *poſt mortem* in regnum gloriamque ſuam fuiſſe intromiſſum, adeoque ei tum demum plenariam regnandi in cælo & in terrâ poteſtatem eſſe datam; an neſcis, Angelum Luc. 1. v. 32. de *futuro* adhuc regno Chriſti, *futuraque* ejus poteſtate, loqui, ubi ait: *Dabit ei* (Chriſto) *Dominus Deus ſedem Davidis patris ipſius?* An neſcis, Chriſtum ipſum Matth. 16. v. 28. *futuri* regni ſui facere mentionem, ubi ait, *ſe venturum in regno ſuo?* An neſcis, Chriſtum per *& poſt mortem demum* fuiſſe glorificatum & exaltatum? quemadmodum ipſemet ait Luc 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam?* Annon *Petrus* ait Act. 2. v. 36. *Certo ſciat tota domus Iſraëlis quod Deus hunc fecerit*

Dominum

Dominum & Chriſtum, hunc ipſum Ieſum, quem vos crucifixiſtis? Et cap. 3. v. 13. 5. 30. 31. *Hunc, quem vos interfeciſtis, Deus glorificavit, conſtituitque principem & ſervatorem?* &c. An non Paulus quoque Phil. 2. 8, 9, 10. *Chriſtum propter obedientiam uſque ad mortem, à Deo exaltatum dominumque factum eſſe ſcribit?* Annon Johannes dicit cap. 7. 39. *Ieſum* (*ante mortem*) *nondum fuiſſe glorificatum?* adeò, ut *Chriſtus ipſe glorificari rogaverit ante mortem ſe adhuc à Patre,* etiam Joh. 17. 1. 5. Cæterum, quomodo non *poſt mortem demum*, Chriſto omnis poteſtas data ſit? quandoquidem Chriſtus ipſe *ante mortem* morti adhuc ſubjectus fuerit, *morſque dominatata ei ſit?* Rom 6. 9. imo per propriam mortem Diabolum demum vincere debuerit? Heb. 2. 14. Adde quod Chriſtus paulo ante mortem ſuam adhuc innuat: Joh. 16. 7. ſe nec ſpiritum S. Diſcipulis ſuis mittere aut dare poſſe, niſi per mortem ad Patrem prius abeat. Ait enim: *Confert vobis, ut ego abeam, Niſi enim abiero, Advocatus ille non veniet ad vos: ſin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Et hinc etiam eſt, quod Chriſtus cap. 14. 16. *ſe Patrem adhuc quoque rogaturum eſſe ait,* ut Spiritum illum Sanctum Diſcipulis mitteret: & quod Petrus Act. 2. v. 33. *Chriſtum jam poſt mortem exaltatum, Spiritum S. à Patre demum accepiſſe, inque Diſcipulos effudiſſe dicit.* Id enim illud eſt, quod *Ioh.* etiam *cap.* 7. v. 39. Chriſtum jam olim ante mortem ſuam innuiſſe ait,

 dum

dum ita ſcribit: *Hoc dixit de Spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia* NB. *Ieſus nondum erat glorificatus.* Quo circa, ſi Chriſtus ante mortem, regni poſſeſſionem nondum adijt, ſed poſt mortem demum gloria & honore coronatus eſt. Heb. 2. v. 9. ſi à mortis dominio nonniſi poſt mortem demum, idque implorato prius Patre, ceu qui eum à morte liberare poterat, liber evaſit, Rom. 6. v. 9. Act. 13. 34. Heb. 5. 7. ſi denique non niſi poſt exaltationen ſuam, au-cthoritatem habuit, mittendi Spiritus S. & propterea Patrem quoque prius rogare opus ei fuit: ſequitur neceſſario, Chriſto *poſt mortem demum* omnem poteſtatem in cælo & in terra datam eſſe, meque binas iſtas voces, *poſt* mortem, in loco Matth. 28 18. rectiſſime, & prorſus ſecundum Scripturam ſubintellexiſſe, Hermæq; verbis addidiſſe. *Hactenus Zuickerus.* Satisfaciam propitio Dn. Jeſu Chriſti numine ſufficienter: 1. Quod ad præſentem Matthæi locum, Chriſtus cap. 28. 18. dicit Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Eſt vero ἐξουσία juxta gloſſarium quantivis pretij: *Majeſtas, ditio, & poteſtas.* Iniquum vero eſt hanc *omnem poteſtatem*, referendam ad Chriſti glorificati gloriam, confundere cum Omnipotentia eidem eſſentiali. 2. Nam Chriſto competit quædam potentia ut Deo abſolute, atque ab æterno: quædam vero juxta Mediatoris Oeconomiam; quæ non quidem ratione alteru-

erius naturę, ſed ratione perſonę obtigit, poſt ſtatum humiliationis; nec tamen collative, quaſi antea illa caruiſſet, ſed patefactive. 3. Ab æterno, ut Deo, illi tribuendam fuiſſe omnipotentiam, & ſimul infinitam poteſtatem, dubitare non licet, quum æque atque Pater habeat vitam à ſeipſo, unde dicit Joh. 5. 26. *Vt Pater habet vitam in ſeipſo; ita etiam Filio dedit vitan habere in ſeipſo.* Atque Joh. 3. 31. *Qui ſuper ne eſt, ſupra omnes eſt.* Quam & potentiam exeruit ante incarnationem in mundi Creatione, & omnium, quæ creata ſunt, conſervatione. 4. At hæc potentia (licet per quoſdam radios ſe ſubinde exeruit) ſub velo carnis quaſi occultata fuit, uſque dum, poſt glorioſam reſurrectionem è mortuis ſe iterum exereret per donationem Patris, quam Chriſtus ut innuit, dum dicit hanc poteſtatem ſibi datam eſſe, (per æternam ſcil. & ineffabilem generationem) ita hac loquendi formula ſe non exhibet minorem Patre, ſed ab eo duntaxat diſtinctum. 5. Contigit vero hæc Chriſto Poteſtas poſt reſurrectionem & ſeſſionem à dextra Patris ſecundum perſonam, atque ut θεανθρώπῳ; quæ, ratione diſtinctarum naturarum diverſimode eſt intelligenda. Nam quamquam ea, illi ut Deo ab æterno per incomprehenſibilem Generationem à Patre competierit; quod tamen in ſtatu humiliationis parum quin obliterata eſſet *declaratus fuit, NB. Filius Dei potenter ſecundum Spiritum Sanctificatio*

nis, per reſurrectionem è mortuis, Rom. 1.4. (obſervetur non ſecundum humanam naturam, ut volunt Adverſarii, ſed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ſecundum *Spiritum Sanctificationis*, hoc eſt ſecundum Divinitatem, declaratum, non vero factum fuiſſe Dei Filium) in cujus poteſtatis exercitium (licet illius ſubjective capax non ſit) cum admiſſa quoque ſit in tempore humana natura, liquet, quomodo per modum patefactionis hæc Poteſtas Chriſto dicatur data fuiſſe.
6. Præterea probe obſervandum eſt, in Græco dici non πᾶσα δύναμις, ſeu omnipotentia, ſed πᾶσα ἐξουσία, omnis poteſtas, ſeu auctoritas: præterea, non dicit Chriſtus ſuę naturæ humanæ datam eſſe hanc poteſtatem, ſed ſibi, innuendo ſuam perſonam. Chriſto ab æterno, per æternam generationem data eſt potentia Dei abſolute ſumpta, gaudetque eadem ab æterno Omnipotentia qua Pater. Nam hæc potenria, agendi omnia poſſibilia, ut Deo, qui ipſa vita eſt, conuenit ſecundum eſſentiam; ita & Filio quoque, nam hic de ſe Ipſo dicit Ioh. 5. 26. *Vt Pater habet vitam in ſeipſo, ita etiam, Filio dedit vitam habere in ſeipſo.* Quo loco nihil poteſt eſſe manifeſtius. Verum quidem eſt Filium vitam habere à Patre. Sed illa vita, quia eſt eadem cum vita Patris, non eſt ab alio, velut à cauſſa in tempore producta, ſed à ſeipſa. Atque ita Chriſtus eſt αὐτοζῶν, & αὐτοζωὴ, ſicut & Pater. Quomodo & ratione eſ-

ne eſſentiæ cum Veneranda antiquitate recte Filius Dei αὐτόθεος ratione τῆς ὐσίας vocari poteſt. Quanquam ὑποστατικῶς, ſeu notionaliter conſideratus & quatenus eſt Deus Filius, ſit à Patre per æternam & incomprehenſibilem generationem. Zuickerus arans vitula Arrianorum, ut patet ex Cyrillo lib. 2. in Joh. cap. 3. fruſtra admodum eſt, quando hinc concludit, Chriſtum non poſſe eſſe Deum æqualem Patri, eo, quod non ſit poteſtas ipſi innata, ſed data, & quidem in tempore. Siquidem licet hanc ἐξουσίαν, ſeu poteſtatem, quam exercet in regimine ſuæ Eccleſiæ, acceperit ut homo: non tamen aut humana natura eſt Deificata, ut volunt Ubiquitarij; ſed Chriſtus homo per unionem humanæ naturæ cum λόγῳ ita factus eſt omnipotens, ut hanc ἐξουσίαν non exerceat niſi ſecundum omnipotentiam Divinitatis ſuæ. Habuit quidem Chriſtus homo hanc πᾶσαν ἐξουσίαν mox ab incarnatione, quod humanam naturam divinæ perſonæ ſociaſſet; (nam ipſe ante mortem & reſurrectionem ſuam dixit Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* & Joh. 17. 2. *Dediſti mihi poteſtatem in omnem carnem.*) ſed quod minus illa ſe exereret, nec juxta exercitium Chriſto homini quoque competere videretur, ita cenſetur poſt mortem demum collata eſſe: nam ut Chriſtus, qua Deus & homo Patri obediens factus eſt, & qua homo etiam uſque ad mortem crucis; ita

etiam

etiam ab eo exaltatus eſt in ſummam ſublimitatem, donatumque ei nomen eſt, quod eſt ſupra omne nomen: ut ad nomen Jeſu omne genu ſe flectat, cæleſtium, ac terreſtrium, & ſubterraneorum, Phil. 2. 8. & ſeqq. Quomodo juxta phraſin Scripturæ, ea, quæ patefiunt, dari & conferri cenſentur: ipſo Chriſto ita edicente Joh. 17. 5. *Glorifica me Pater ea gloria, quam apud te habui, antequam hic mundus eſſet.* Hoc eſt, manifeſta meam gloriam, quam apud te quidem habui ab æterno, ſed, quæ jam deliteſcit ſub velo carnis. Similiter Act. 2. vers 36. dicitur *Ieſus crucifixus factus Dominus & Chriſtus*: non quidem propria actione: nam talis erat ab initio Luc. 2. 11. ſed patefactione, cum ſuſcitatus eſt à mortuis. (*potenter enim declaratus eſt Filius Dei per reſurrectionem à mortuis*, Rom. 1. 4.) maxime cum aſcendit in cælum, & ſedit ad dextram Dei, miſitque Spiritum Sanctum. Pro ratione ſcil. τῆς οἰκονομίας juxta ſtatum humiliationis Chriſti, ad tempus gloria ipſius occultata fuit: Sole Juſtitiæ nubibus quaſi tecto. Adeo, ut oppido fruſtra ſit Zuickerus, quando contendit Chriſto hanc poteſtatem demum datam (per realem ſcil. collationem) poſt mortem fuiſſe: cum eam modo jam dicto habuerit ab initio incarnationis, ἀληθῶς ſcil. licet μεταφορικῶς cenſeatur data eſſe, quatenus patefacta fuit. Atque ſi hæc attendantur, patet quomodo reſpondendum ſit ad varia illa

loca

loca Scripturæ, quæ conſarcinavit. 9. Non poteſt vero reticeri hominis fallacia in adducendo loco Joh. 17. 5. ſimpliciter dicendo: ut *Chriſtus ipſe Ioh.* 17. 1. 5. *ante mortem adhuc, ſe à Patre glorificari rogarit?* Quum tamen Chriſti verba ſint, jam modo adducta: *Glorifica me Pater ea gloria, quam apud te habui, antequam mundus eſſet.* Quæ, quando Sociniani ita interpretantur, quaſi Chriſtus petat ſolummodo glorificari illa gloria, quam habiturus ſit juxta æternum Dei decretum & deſtinationem: non minus vim Textui, nimis quam manifeſto, inferunt; quàm oſtendunt quàm deſperata ſua cauſſa ſit, quæ talibus conjecturis, oppido quàm futilibus atque ineptis fulciri debet. 10. Falſum quoque eſt *Chriſtum poſt mortem Spiritum S. à Patre demum accepiſſe, inque diſcipulos effudiſſe.* Nec hoc colligi poteſt ex Joh. 7. 39. leguntur quidem ibi ſequentia: *Hoc dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Sp. Sanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Sed hoc non debet intelligi de perſona Spiritus Sancti, verum duntaxat de donis ipſius extraordinariis, de quibus Act. 2. 4. & 10. 44. ubi ut dicitur *illapſus eſſe Spiritus S. in omnes*; ita vers 45. exponitur *effuſum eſſe donum Spiritus.* Adeoque illud *non fuiſſe* intelligi debet non ſimpliciter, ſed κατά τι. Non fuit ſcil. juxta tantam copiam, qua effuſus fuit poſt exaltationem Chriſti. Nam com. 39. per parentheſin inſeritur

pro

pro explicando vers. 38. Quo dixit Chriſtus: *Quiſquis credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipſius fluunt.* Qua locutione ut ſingularis gratia & copia Sp. Sancti innuitur, ita hoc fuiſſe complendum poſt Chriſti glorificationem, innuitur vers. 39. Accedo ad examen loci Heb. 1. 10. *Tu, in initio, Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Qui locus ne faveat Dn. Jeſu Chriſto una cum Patre & Spiritu Sancto cæli & terræ creatori, noſter Zuickerus pag. 126. inſultando quàm petulantur Dn. Comenio, *contendit*: Verba hujus verſus non de Filio, ſed de Patre tantum, intelligi poſſe debereque eò quod ſubjectum, Chriſtus homo, prout toties nunc dictum eſt, non permittat, cælum aut terram ab ipſo fuiſſe creata. Quod ipſum & textus ſatis docet, ſi recte attendatur. Nam ecquis non videt, *ei* opera manuum, cælorumque creationem v. 10. tribui, qui cap. 2: 7: 9. Jeſum hominem, paulisper Angelis factum inferiorem, ſuper illa manuum ſuarum opera conſtituiſſe memoratur? Is verò nullus alius eſſe poteſt, quam Pater. Ita, ut nec hic quicquam ſit, quod impediat, quo minus omnia, quæ in theſi veſtrâ de Chriſto probata fuerant, ei tanquam homini competere poſſint. *Hæc noſter Socinianus,* Reſp. 1. Suum adverſarium, innuo Dn. Commenium cæterum immerito, paſſim arguit petitionis principii: quum tamen hic ipſe manifeſto

nifeſto principium petat, præſupponendo contra aperta Scripturæ teſtimonia, ſubjectum Chriſtum non permittere, ut illi tribuatur *creatio cœli & terræ.* Si provocet ad illa, quæ hunc in finem diſputavit; nihil agit. Nam totus ipſius diſcurſus æque incertus eſt, atque principium petit hæc audax ejus aſſertio: in quâ diſtinguenda, ſophiſtice & more ſuo, confundit. Nos Chriſto homini non tribuimus creationem cœli & terræ, ſed docemus præeunte Scriptura, Jeſum Chriſtum, qui eſt æternus Dei Filius & Patri coëſſentialis una cum Patre cælum & terram creaſſe: quod ſit omnipotens Deus. Quid enim manifeſtius hoc loco Eſaiæ cap. 45. vers 17. & ſeq. *Iſraël ſervator per Iehovam ſalute æterna: non erubeſcetis, neque ignominioſi reddemini in ſempiterna ſecula. Nam ſic ait Iehova creator cœlorum, ille ipſe Deus,* (qui ſcil. eſt Jehova ſalus æterna) *formator terræ & opifex ejus, idem ſtabiliens eam, qui non ad inanitatem creavit eam, ſed ad inhabitandum formavit eam: ego ſum Iehova, & nullus præterea.* 2. Attendatur modo integer locus Apoſtoli, & animadvertatur ſcopus ejuſdem, & omnia erunt expedita: Apoſtolo cum propoſitum ſit probare Chriſtum, ut infinitum Deum infinities angelis majorem eſſe, in teſtimonium advocat Pſ. 45. & 102. ubi cum directa compellatio inſtituatur ad Dei Filium, prædicata quoque, à quibus Apoſtolus argumentatur, non poſſunt alii attribui, quàm Dei Filio.

Filio. 3. Dilutum eſt, quòd comparet hunc locum, cum verſ. 7. & 9. capitis ſubſequentis. Nam ibi agit Apoſtolus de Chtiſti, qui ſponte ſeſe miſit, ſtatu humili, & gloria quæ ipſi contigit, poſtquam ſc. expiaſſet peccata noſtra, ut Θεανθρώπῳ. Gloria, Chriſti ut exaltati occurrit duplex, infinita & finita: illa competens ratione divinæ naturæ non fuit ei collata proprie (cum illam habuerit ab æterno) ſed tantum improprie, & quatenus eſt patefacta: hæc vero humanæ ut eſt collata; ita non valet conſequentia, quâ quidam volunt eandem hujus atque illius rationem eſſe. Succedit apud Zuickerum locus 2. Cor 8: 9. nam loco ad Philippenſes 2. vers 6. 7. & ſeqq. jam antea per occaſionem paravimus vindicias. Circa locum vero 2. Cor. 8. 9. ita exagitando more ſolito bonum Dn. Comenium, pag. 524. *cornicatur*: Tuus locus explicari poteſt & debet, nimirum, quòd *Chriſtus homo*, in forma Dei exiſtens, potens *& dives fuerit*, adeo ut multos millenos homines miraculoſe cibare & ſaturare, Diſcipuliſque egentibus, aut fruſtra laborantibus, tum pecuniam, tum piſcium multitudinem verbo ſubminiſtrare potuerit, imo, ut ditiſſimus omnium in toto mundo, ſi voluiſſet, eſſe potuiſſet, & quod nihilominus tamen *propter nos pauper eſſe maluerit*; ita ut à mulierculis etiam ſubſidia acceperit, & nonnunquam, præſertim vero paſſionis, ſerviliſque conditionis ſuæ

nis ſuæ tempore, neceſſariis indiguerit. Quod eò fecit, ut nos *paupertate ipſius ditesceremus*, omnium optimis bonis. *Hactenus iterum* Socinianus. Scripturæ non Interpres, ſed interpolator. Reſp. 1. Mirum non addidiſſe cum Bellarmino lib. 2. de Monachis, cap. 35. Chriſtum mendicaſſe, & exemplum reliquiſſe Monachis mendicantibus: eo enim detorquet hunc locum Cardinalis. 2. Falſum eſt, Chriſtum ab Apoſtolo cenſeri ſolummodo divitem efficientiæ ratione, quòd ſcil. *multos ditare potuerit*. Siquidem, ut pro meis adoptem verba ὀρθοδοξωτάτȣ Muſculi *adhunc locum*: Dives erat in ſe, tanquam unigenitus Dei filius, & heres omnium. Pauper verò factus eſt, non amittendo divitias ſuas, ſed non utendo. Cum dominus eſſet omnium, factus eſt omnium ſervus, veniendo in mundum, non ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe miniſtraret omnibus. Cum jus haberet omnium, quæ in cælo ſunt & in terra, poſſeſſione & uſu illorum, ad tempus abſtinuit, uſque adeo, ut minus poſſideret in terra, quàm vulpes & volucres cæli &c. Parentum ipſius, natalium, educationis & conditionis humilitas ſingularem paupertatem oſtendit. Sic exinanivit ſemetipſum ſumpta forma ſervi, una cum ſumma humilitate, ac paupertate. Interea tamen omnium erat ditiſſimus in ipſa etiam paupertate conſtitutus, ut multò veriùs ipſi competat illud, *quaſi pauperes, multos tamen ditantes,*

tes, ut nihil habentes, & tamen omnia poſſidentes, quàm Paulo. *Hæc Muſculus.* 3. Chriſtus pauper factus eſt, eò quod ſe dimiſit ad formam ſervi, juxta Apoſtolum; At, ſi hunc hominem audiamus; ita debuerit factus fuiſſe pauper; ut ſimul acceperit eodem tempore poteſtatem ſe & quoſcunque alios ditandi. Quum tamen contextus manifeſte doceat, Chriſtum renunciaſſe conditioni, non quam acceperat per incarnationem, ſed quam habuerat ab æterno. Argumentando præterea ab humana auctoritate, Orthodoxis eripere ſtudet locum ad Hebr. 7. vers 3. atque *ita proloquitur pag.* 524. Locus Heb. 7. 3. non minus atque omnes priores de humana Chriſti natura explicari poteſt, & ab Auctoribus quoque explicatur. Unicum nunc tandem adducam *Vaſqueſium*, qui (prout à ſępe citato Dorſcheo pag. 609 allegatur) *in* 3. *Thomæ Diſp.* 8. *cap.*2. *ſ.*2. *apud.* ita ſcribit: *Quemadmodum Melchiſedech non dicitur in Scriptura, habuiſſe initium dierum, nec Patrem, nec Matrem, ut ab eo (Patre) Iure hereditario acciperet ſacerdotium, nec habuiſſe genealogiam, hoc eſt, poſteritatem, neque finem dierum, ut morte impeditus filiis ſuis ſacerdotium more Levitico relinqueret, ex quo videtur ſacerdos in æternum: eodem pacto Chriſtus* (ſcilicet, non habuit *in ſacerdotio*, patrem, aut matrem, aut genus, aut initium finem ve dierum) *quod neque à Patre per ſucceſſionem acceperit ſacerdotium, neque poſteritatem habens, neque finem*

dierum,

dierum, ut idcirco morte prohibitus permanere, poſteris relinqueret ſacerdotium, ſit ſacerdos in æternum juxta ordinem Melchiſedech, non ſecundum ordinem Leviticum, ſiquidem Levitæ, morte prohibiti poſteris ſacerdotium relinquebant. Hæc Vaſquez, locum Heb. 7. 3. de humana Chriſti natura explicans. *Hactenus quoque Zuickerus.* An Vaſquius hęc ſcripſerit, dicere non poſſum, quòd liber ad manum non ſit. Licet credam eum non modo Melchiſedechum ratione officii, ſed ratione quoque perſonæ, tanquam typum cum ſuo antitypo, compoſuiſſe. Quod & facit Corn. à Lapide: qui commentans ad hunc locum, ut in octo quaſi capitibus inſtituit comparationem typi Melchiſedechi cum antitypo Chriſto. Ita *tertio* ſtatuit convenire in generatione: atque addit. *Sicut enim Melchiſedech inducitur, ita Chriſtus revera eſt ſine patre in terra, ſine matre in cælis. Quarto*, conveniunt *in ætate & duratione. Sicut enim Melchiſedech proponitur, ita Chriſtus reipſa eſt omni prorſus initio & fine temporis carens.* At Socinianis ſudes in oculis eſt: Quòd Orthodoxi ex hoc loco colligant Chriſtum Deum æternum eſſe; eòque ad ſummum concedunt Apoſtolum voluiſſe innuere, quòd Chriſtus *nec habuerit ſucceſſorem ſacerdotii, nec ipſe alii ſucceſſerit priori.* Sed plus innuere vult Apoſtolus hoc commate: nam expreſſe dicit; *Nec initium dierum, nec vitæ finem habuiſſe.* Prius non poteſt intelligi de Chriſto homine, nam in plenitudine temporis cum

mitteretur à Patre, *factus eſt ex muliere*, Gal. 4. 4. adeoque natura in eo ſuperior humana agnoſci debet, Divina ſcil. quæ genus nullum habet, cum à ſeipſa exiſtat: illiuſque reſpectu ipſe Chriſtus ſit *Deus benedictus in ſecula* Rom. 9. 5. *primus & ultimus*, Apoc. 1. 6. & alibi. qui *ſic eſt ante omnia, ut omnia quoque per ipſum conſiſtant*, Col. 1. 17. Atque, ut μεταφορικῶς Melchiſedech dicitur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, (quòd in Scriptura nullibi illius Genealogia exprimatur) ita, in Antitypo Chriſto, hac locutione duæ diſtinctæ naturæ innuuntur: Nam, Chriſtus per æternam generationem Patris ſui Cæleſtis, ſic eſt ἀμήτωρ, cum ſit Deus æternus; ut ratione humanæ naturæ, quam in tempore aſſumpſit, ſit pariter ἀπάτωρ. Quomodo & Micha Propheta cap. 5. vers. 2. Chriſtum ut hominem, exhibet quidem prodeuntem è Bethlechem, ut tamen conſiderato eodem velut Deo, meminerit *exortus inde à principio, & à diebus ſeculi*. Scio Zuickerum, (fecit hoc diu ante ſocius ipſius Eniedinus) clamaturum, Ab Orthodoxis locum hunc ita interpretantibus, *peti principium*. Sed, quam calumniatorie, per ſummam ignorantiam Logicæ, odioſa hac formula Sociniani utantur, poſtea peculari Diatriba oſtendemus. Atq; hæc, ſpeciminis duntaxat loco adferre voluimus, ut pateret, quam feliciter eripuerit Zuickerus per conſenſum quaſi interpretum illos Scripturæ Textus, quibus æterna Deitas Dn.

Jeſu

Jeſu Chriſti probatur. Non viſum fuit nobis operæ pretium, in ſingulorum auctoritatem inquirere: ſpeciatim noluimus excutere omnes citationes, quibus Socinianam ſuam Gloſſam circa locum Matth. 28. 18. quàm prolixe pag. 235. & ſeqq. munire laboravit: quæ ut magnam partem ſunt mutilæ; ita multi ex citatis ex parte idem dicunt, quod nos cum omnibus Orthodoxis docemus, atque antea ſufficienter aſtruximus. Maldonatus etiam expreſſe diſtinguit omnipotentiam, Chriſto ut Deo competentem, à poteſtate Chriſto ut redemptori data, nam hæc verba habet: *Non ergo de ea loquitur poteſtate, quam ut Deus, nec de ea, quam ut homo, ſed de ea, quam ut redemtor hominum habebat, quamque per mortem & reſurrectionem ſuam ſibi comparaverat.* Eamque intelligendam ſecundum rationem patefactionis, oſtendit Gloſſa ordinaria, imprudenter à Zuickero adducta pag. 237. verba hæc ſunt: *Antea quidem data poteſtas, Matth. 11. vers 27. ſed nondum revelata, quia nondum regni ſui poteſtatem acceperat.* Antequam finio hæc Diatribam, expendere debeo locum Johan. 17. 3. Quod non modo Socinianorum ſit Achilles, verum etiam Zuickerus (creditur certo auctor eſſe Scripti hujus) in libello, cui titulus: *Illuſtria aliquot ſpecimina infelicis pugnæ Abrahami Calovij*, &c. reſponſiones Orthodoxorum omnibus modis evertere & proſtituere laboret. Pag. 13. dicti Tractatus *hæc lego:*

Manifeſte porro verum eſt, quæſtionem hic eſſe, utrum Chriſtus ſummus ſit Deus & præter naturam humanam, divinam quoque aliquam obtineat? Aut, utrum eandem cum Patre eſſentiam habeat. Jam, ſi hoc, de quo adhuc quæritur, ad infringendam adverſarii probationem, ex manifeſta veritate petitam, tanquam conceſſum adhibetur & ſupponitur; an non aperte verum eſt, pro conceſſo ſumi, quod maxime eſt controverſum? *Manifeſta* enim *veritas* vult, ut ſimpliciter prolata ſimpliciter, & abſque limitatione, quantum fieri poteſt, accipiantur; & ut quotieſcunque aliquis exprimitur aut nominatur, non minus ejus perſona quam ſubſtantia ſeu eſſentia intelligatur. Neque ullum contrarium exemplum hic dari aut afferri poteſt, præter illud ipſum de quo adhuc quæritur, vehementerque dubitatur. Unde neceſſario ſequitur, ut cum v. c. Chriſtus patrem ſolum verum Deum dixit, non minus ſolam patris perſonam, quam eſſentiam ſeu ſubſtantiam intellexerit: adeoque, non minus eos à vera illa ſupremaque Deitate excluſerit, qui perſonæ eſſent à patre diverſæ. Atque ita clariſſimè hinc colligitur, in verbis Chriſti contrarium potius allatæ diſtinctionis pro conceſſo poni, ponendumque à nobis eſſe; nempe eum, qui perſona à Patre diſtinguatur, etiam ſubſtantiâ ab eo diſtingui; ac porro horum Chriſti verborum vi, à vera illa ſupremaque Deitate

Deitate excludi: præſertim ſi is homo eſſe, & à Patre, cui etiam honorem deferat, in terras miſſus eſſe credatur. *Hæc auctor dicti Tractatus*, qui putatur *Zuickerus*. Sed ineptus Diſputator, cui ſacra perpetuo anchora eſt, dicere *petiprincipium*, & ab Orthodoxis ſupponi tanquam probatum illud, quod in Quæſtione eſt; ratione hujus loci, circa quem, defenſurus ſuum quaſi Crellium adeo æſtuat, ſpeciatim meminiſſe debuiſſet, ex hoc loco nos non argumentari, ſed exemplo Patriarcharum ſuorum (Arrianos innuo) Socinianos: eoque, ut laboramus vindicare hunc locum adverſus ſtrophas adverſariorum; ita hactenus dici non poſſumus petere principium; ſed potius ipſi Sociniani: qui ſupponentes Deum æternum & ſupremum eſſe ſolum Deum Patrem, quod Jeſus Chriſtus in hoc loco ab eo ſejungatur, concludunt eum ſecundum eſſentiam à Deo Patre diſtinctum eſſe debere, quòd alius ab eo ſit juxta perſonam. Quod vero jam olim hoc loco Arriani abuſi fuerint, operæ prætium fuerit, eundem vindicare. Atque initio deſpiciendum, quomodo antiqui Patres Arrianis, locum hunc urgentibus, reſpondere conſueverint. Quòd, καὶ ἐπίτομὴν mentem illorum propoſuerit Toletus Jeſuita in Comment. ad hunc locum; Quæ ibi occurrunt, bona fide hic exhibebo: Annotandum eſt (*inquit*) etiam Arrianos his verbis ſuam hæreſin confirmare tentaſſe; dice-

bant enim ſolus Pater eſt verus Deus; non ergo Filius eſt Deus. Quibus reſpondent ſacri Doctores. Dupliciter hunc locum exponentes contra eoſdem. Primo, ut ſit ſenſus; ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; nempe eſſe verum Deum, ut copula, Et, Patrem, & Chriſtum ſub una Deitate conjungat; ac ſi dictum eſſet; ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum, eſſe ſolum verum Deum. Ita exponunt *Auguſt. tract.* 105. *& lib. 6. Trin. cap. 9. & Ambroſ. libr. 5. de fide, cap. 2. & Hilar. lib. 9. trinit.* Qui non ſolum exponit ſic, ſed ita exponendum eſſe probat. eſt autem probatio Hilarii, quia aliter videretur ſenſus imperfectus: nam ſi de Patre credendum eſt, eſſe ſolum verum Deum; de Jeſu Chriſto, nihil diceretur credendum; niſi etiam intelligamus eſſe verum Deum ſimul cum Patre. Qua adhibita expoſitione, locus hic Arrianos convincit. Huic conſentit Gregor. *Nazian. orat. 4. Theolog. cujus hæc ſunt verba.* Hæc verba, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, ad eorum, qui quanquam falſo, Dei tamen appellantur, ſublationem dici exiſtimo. Neque enim adjectum fuiſſet, Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum, ſi ad eum oppoſita diſtinctione ſubmovendum, illa; ſolum verum Deum, pertinerent, ac non de communi utriuſque Divinitate ſermo eſſet. *Hac Gregorius.* Rurſus *Athanaſ. in diſputat. contra Arrium in Concil. Nicano,* eandem habet expoſitionem

dicens,

dicens, *ſic illud igitur; Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum, conjunctum eſt, cum præcedenti membro, quaſi diceret; Te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ut cognoſcant filium tuum verum Deum, quemadmodum & te Patrem.* Idem confirmat *lib. de Incar. Chriſti* prope finem, ſic *Athanaſ. reſpondit Arrio*, eum locum opponenti, nec contra reſponſionem habuit, quod objiceret Arrius. Hanc expoſitionem ſecutus *Cypria lib. 2. contra Iudæos.* Ex hoc loco Chriſti divinitatem probat. Eſt igitur expoſitio hæc tot ac tantis auctoribus confirmata, probanda, & non rejicienda; ut aliqui noſtro tempore leviter, & inconſideratè faciunt, neſcientes gravem & magnam Doctorum ſic exponentium authoritatem. Altero modo alij exponunt Doctores, ut ſolum verum Deum, de Patre dicatur, qui ſolus Deus dicitur ad diſtinctionem falſorum Deorum; hi enim tantum excluduntur per particulam illam ſolum, non autem Filius, ſic ut nec Spiritus S. qui unus eſt Deus, non alius Deus à Patre. Oportet ergo credere etiam Jeſum Chriſtum, quod ad fidem diſpenſationis ſpectat. Ita exponunt *Cyril. lib. 11. cap. 16. Chryſoſt. hom. 79. Euthym. & Baſil. lib. 4. contra Eunomium*, probans illud, Solum, ad diſtinctionem ſolùm falſorum Deorum poni, adducitque illud Deuter. 32. Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Simile etiam illud eſt *Iſa.* 37. quia tu es Dominus Deus ſolus. & *Dan.* 3. Sci-

ant quia tu es Dominus Deus ſolus. Ita in præſenti, falſos Deos excludens, dictum eſt, credant te ſolum verum Deum. Filium autem non excludi, ipſe Joannes docuit 1. *epiſt* 5. ut ſimus, inquit, in filio ejus; hic eſt verus Deus, & vita æterna. Spiritus ſancti non meminit, quia adhuc perfecta ejus notitia tradita non erat; tamen excluſus non eſt, quia idem Deus eſt cum Patre, & Filio, & ejus cognitio ad fidem divinitatis pertinet. Hanc ſecuti ſumus expoſitionem, non quod negemus priorem eſſe etiam probabilem. *Hactenus Toletus.* Sed, ut ipſum locum preſſius conſideremus, & ſimul Socinianorum ſtrophis occurramus: Horum ex hoc loco argumentatio *primo* iis ipſis quoque præjudicioſa eſt, atque ſervit non minus evertendæ jejunæ ſuæ ſententiæ de Jeſu Chriſto, quàm Orthodoxorum. Si credimus auctori dicti libelli pag. 16. Crellius ita argumentatus fuerit: *Si omnes tam eſſentialiter quàm perſonaliter à Patre diverſi, excluduntur, ſequitur & omnes perſonaliter diverſos, adeoque & Filium & Spiritum Sanctum excludi à vera Deitate. Atqui verum prius.* E. Si enim ex hoc loco (pro ut contendunt) valida illatione concludi poſſit: ſolum Patrem ſic eſſe verum Deum, ut ne ipſe quidem Filius, Dominus Jeſus Chriſtus, haberi poſſit verus Deus, ſeu ἀληθινὸς Θεός: ipſi ſibi aperte contradicunt, &, quæ aliàs de Chriſto ſe credere profitentur, per apertam contradictionem negant. Vehemens

mens eſt proteſtatio ipſius Socini adverſus Wiekum pag. 98. *Aperte falſiſſimum eſt, nos palam affirmare Chriſtum non eſſe verum Deum, imo contrarium publice profitemur, & in noſtris, tam Latina, quam Polonica lingua non paucis editis ſcriptis, Chriſtum verum Deum eſſe, aſſerimus.* Quæ Socini confeſſio ſi admittatur, non ſolum falſa eſt argumentatio Crellii, Zuickeri, & cæterorum: quaſi ipſe Chriſtus in ſe haut verus Deus, voluerit ſemetipſum opponere Deo patri ut vero Deo: verum etiam ex hac Socini confeſſione, hoc aperte colligitur, Chriſtum non poſſe cenſeri *verum Deum*, niſi ratione eſſentiæ: quum verum non ſit propria affectio modorum entis, ad quos ſuppoſitum & perſona pertinent, ſed ipſius entis. 2. Si procedat Crellii argumentatio, ex hoc loco, ad excludendum Chriſtum ne ſit verus Deus, eó quòd *ſolus Pater* videatur *verus Deus* hic dici: pari ratione concludam ex ſimilibus locis N. T. Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti non poſſe cenſeri Dominum: eó, quòd expreſſe 1. Cor. 8 6. (hunc locum aliàs admodum urgent Sociniani, &, qui cum illis *Monarchiani* videri volunt, atque infra à nobis breviter vindicabitur) dicat apoſtolus: *Nobis unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Quomodo & Judas Apoſtolus in Epiſt. Catholica vers 4. dicit de quibuſdam: *quod ſolum illum herum Deum ac Dominum noſtrum negent.* Quis verò auſit dicere, Patrem non eſſe quoque

quoque habendum δεσπότην καὶ κύριον? Quod tamen licebit mihi inferre, ſi valere debeat argumentatio Crellii, & Zuickeri ex precatione Dn. Jeſu Chriſti deſumpta. Similiter licebit inferre, neceſſariam non eſſe cognitionem Dei Patris ad ſalutem, (quod tamen in loco hoc controverſo innuitur) eò quòd dicat Paulus 1.Cor.2.2. *Non enim ſtatui ſcire inter vos quicquam, niſi Ieſum Chriſtum.* Eoque, ſive illud *ſolus* referatur ad ſubjectum *te* hoc eſt *Patrem*, ſive ad prædicatum *verum Deum*, nullâ ſolidâ conſequentiâ, obſervato ſtylo Spiritus Sancti, inferre licet ſic Patrem hic dici ſolum verum Deum, ut excludi debeant Filius & Spiritus Sanctus; quaſi non ſint æque verus Deus, atque Pater. Nam pari ratione, quando dicit Paulus 1.Cor.9.6. *An ſolus ego & Barnabas non habemus facultatem non operandi:* liceret inferre, ſolum Paulum habere poteſtatem non operandi: quum tamen vel cæcus videat, Apoſtolum, non ſibi, ſed & Barnabæ vindicari velle hoc privilegium non operandi? Quo jure ergo, Chriſti, cæleſtem ſuum Patrem invocantis, verba ita detorquentur, quaſi innuere voluerit ſolum ſuum Patrem eſſe verum Deum, non pariter ſe: quum tamen Apoſtolus Johannes dicat Ep. 1.cap.5. vers. 20. *Scimus Filium Dei veniſſe, & dediſſe nobis mentem ut cognoſcamus verum illum: & ſumus in vero illo, id eſt, in ejus Filio Ieſu Chriſto. Hic eſt verus ille Deus, & vita illa æterna.*

terna. 3. Ut pro meis adoptem verba Quiſtorpii *ad hunc locum*: Hæc eſt particulæ *ſolius* indoles, ut ſaltem Illud, vel illum excludat, à prædicati communione, cui opponitur, Joh. 8. v. 9. dicitur Jeſus ſolus remanſiſſe in templo. Hic non excluditur mulier accuſata, ſed ſaltem accuſatores, qui omnes ſimul diſceſſerant, 1. Regum. 12. v: 20. Non fuit poſt domum David niſi tribus Juda ſola illa: nec tamen excluditur tribus Benjamin quæ conjuncta fuit tribui Judæ; nec tribus Simeon, cujus poſſeſſio per tribum Judæ diffuſa erat Joſ. 19. v. 1. Sic Matt. 11. v. 27. Nemo novit filium niſi Pater, h. e. ſolus. Quæro, an hic Filius excludatur à ſui ipſius notitia? qui tamen ſolus dicitur nomen ſuum noſſe. Apocal. 19. v. 12. Quin ſi particula ſolus etiam illa excluderet, quæ affinitatem & communionem cum prædicato, cui adjungitur, habent, contradictio foret in adjecto. *Hactenus Quiſtorpius*; cujus, licet Auguſtanæ Confeſſionis Theologi, verbis, commode prolatis, hic uti malui, quam exemplo multorum, conceptus non meos, pellucido verborum meorum ſyrmate (quod aliàs per Dei gratiam nobis in proclivi eſt) complecti. 4. At, ſi contextus totus attendatur particula ὁ *μόνος*, ceu *ſolus*, omnino, non ad ſubjectum, ſed, ad prædicatum referri debet: quum articulus τὸν, in hiſce verbis (ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν) evidentiſſime oſtendat, particulam

exclu-

excluſivam *μόνον*, ſeu *ſolum*, pertinere ad *ἀληθινὸν Θεὸν*, *Deum verum*; non verò ad pronomen *σε*, *te*, ſubjectum quaſi. Adeo, ut ſolus ille ſit *ἀληθινὸς Θεὸς*, cui idem poteſt tribui atque Patri; quod cum poſſit & Filio, & Spiritui Sancto tribui, non poteſt hic fingi excluſiva propoſitio, quæ Filio Dei Chriſto ſit præjudicioſa, ſed potius admitti copulativa: Filio, qui cum illo ſolo vero Deo, copulatiue conjungitur, agnoſcendo pariter pro tali Deo: ut ſit ſenſus Paraphraſticus hujus loci: *Hac eſt vita æterna, ut te cognoſcant ſolum illum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, pariter ſcil. ſolum illum verum Deum: ſiquidem ille eſt *Deus, ſupra omnes benedictus in ſecula*, Rom. 9. 5. Spiritus Sancti licet definita non fiat mentio, non tamen per hanc formulam excludi debet, propter illa, quæ alibi diſputamus. Adeoque, Chryſoſtomus à Beza quoque ad hunc locum adductus, meretur audiri, quòd videatur locum hunc convenientiſſime conſtruxiſſe. Producit implicite illum Beza ad hunc locum: Verba vero, ut apud ipſum Chryſoſt. hom. 79. in Johan. per interpretem reddita occurrunt, hæc ſunt: *Quid ergo? Non erit Deus, Filius? Quid ni? Si Deus & ſolius Patris dicentis, conſtat etiam & verum eſſe, & ejus, qui ſolus Deus vocatur. Quid cum dicit Paulus: An ſolus ego & Barnabas? An Barnabam tollit? Minime. Solus enim ad aliorum ponit differentiam.* Convenienter vero Beza ex hiſce

colligit,

collegit, Chryſoſtomum cenſuiſſe, totum hunc verſum ita conſtruendum eſſe: *Vt cognoſcant te, & , quem miſiſti Ieſum Chriſtum, eſſe ſolum illum Deum.* Quod & ſuadet locus 1. Cor 9. 6. à nobis antea prolatus: in quem cum digitum Chryſoſtomus quoque intenderit, Bezæ conſectarium per omnia putandum conveniens. 5. Nec potuit Chriſtus, quaſi non eſſet æque verus Deus atque Pater, ſe excludere, ob mutuam perſonarum in S.S. Trinitate ἐμπερίχωρησιν, ipſo Chriſto dicente Joan. 10. 38. *Vt ſciatis & cognoſcatis quòd Pater in me, & ego in ipſo.* 6. Opponit autem tum ſe, tum Patrem tanquam unum illum verum Deum, omnibus qui non ſunt *natura Dii*: quomodo ſæpe Scriprura Deum *ſolum* eſſe pronunciat, ſpeciatim Neh. 9. 6. Pſ. 86. 10. Eſ. 37. 20. oppoſitive ad idola Gentium, & ad omnes, aut falſo, aut improprie cognominatos Deos. Quod & aperte facit Apoſtolus 1. Cor. 8. vers 5. & 6. *Nam etiam ſi ſunt, qui dicantur dij & in cælo & in terra: (ſicut ſunt dij multi & domini multi) Nobis tamen unus eſt Deus, Pater ille à quo omnia, & nos per ipſum.* 7. E quo poſtremo loco, cum ſoliti quoque ſint argumentari Sociniani, illi ſcil. Monarchiani, manifeſtò oſtendunt, ſe ἐν πρώτῳ παιδείας, ſeu aurea illa Logica, oppidò quàm hoſpites & peregrinos eſſe. Nam, quicquid concluſerint in præjudicium veræ Deitatis Domini Jeſu Chriſti, eò quòd *Pater* vocetur *unus ille Deus à quo omnia*: in præjudicium Dominii ipſius

Patris

Patris juxta ſimilem illationem (ex ſenſu quidem Socinianorum legitimam, ſecundum meum vero judicium, erroneam, ſi non fatuam) concludere quoque potero, ex eo, quòd Jeſus Chriſtus hic æq; expreſſe vocetur *unus Dominus*. Hi tamen heroës, (quæ ipſorum in Logicis eſt peritia) obliti, ſe ratione hujus & ſimilium locorum, (è quibus ſuam Theſin laborant aſtruere) ſuſtinere partes reſpondentis, dicere ſuſtinent, Orthodoxos petere principium, quando ſcil. verba Spiritus Sancti à corruptelis Socinianorum vindicant.

DIATRIBA QUARTA.

Quam feliciter Zuickerus & reliqui Sociniani Diſputent ex loco Diſparatorum.

INfauſtus ille religionis & Chriſtianæ, & ipſius Domini Jeſu hoſtis, *Fauſtus Socinus*, qui tot abominandas hæreſes ab Inferis revocavit, gloriamque, Chriſti per abominanda dogmata, quantum in ſe obliterare ſtuduit, non modo alteram ipſius naturam, eamque nobiliorem, ſed & beneficia ſumma abnegando; videri poſſet prodiiſſe è Scholis Philoſophorum, qui jam olim audierunt Patriarchæ Hæreticorum, niſi ſe ipſum ut ſorex proderet. Ita enim de ſemet ipſo

ipſe pag. 669. voluminis Epiſtolarum loquitur: *Quid exquiſiti judicij in ejuſmodi Philoſophicis ac Theologicis, iiſque difficillimis diſputationibus exſpectari à me poteſt, homine, qui nec Philoſophiam unquam didicit, nec (Scholaſticam quam vocant) Theologicam unquam attigit, & ipſius Logicæ artis non niſi rudimenta quædam, idque valde ſerò deguſtavit?* No- *lo enim te ignorare, pleraſque Diſputationes mearum, quarum quædam jam ſunt editæ, ſcriptas à me fuiſſe, cum nondum Dialecticæ arti ullam operam dediſſem. Quænam inſignis eruditio, unde tu, qui tanta eruditione es præditus, juvari quicquam poſſis, inveniri in me credatur, qui leviſſime, & omni præceptore deſtitutus, bonarum artium & literarum ſtudiis operam impendi, & florentiſſimos ætatis meæ annos duodecim perpetuos, ab anno* XXIII. *uſque ad* XXXV. *in patriæ otio, & partim in aula perdidi?* Cæterum, quos juſto Dei judicio, diabolus effaſcinavit, ut cum Socino laborarunt antiquas hæreſes ab Orco revocare & contra Orthodoxam religionem tueri; viderunt ſibi ſubſidio fore Philoſophiam, ſpeciatim Logicam; (ſi modo Philoſophię pars haberi debeat) non quidem genuinam, ſed fucatam illam, quæ vulgo Sophiſtica audit: atque ex ea quoque petere ſuſtinuerunt argumenta deceptoria, ſervientia quaſi evertendæ æternæ Deitati Domini Jeſu Chriſti. Talia vero præ cæteris viſa fuit ſuppeditare doctrina Diſparatorum: in qua poſt Crellium, cum μέγ' ὄνειαρ inveniſſe videatur Zuickerus, pu-

tetque ſe munitum eſſe, ſubſidio hujus doctrinæ, argumento pluſquam Achillæo; operæ pretium erit, utres ipſius tum excutere tum comprimere. Initio vero diſpiciamus, quomodo Diſparata definiat? atque pag. quidem 56. *ſequentia offendo*: Diſparata ſunt perfectæ ac ſingulares ſubſtantiæ, contradictoriis naturis invicem præditæ, quę proinde de eodem ſubjecto, tanquam totæ de toto, ſimul dici non poſſunt: cum altera alteram ſemper tantum neget ac deſtruat, nullâ verò ratione eandem conſtituat & conſervet; niſi forte utraque ad contemperationem aliquam redacta fuerit, ut tertia inde natura reſultet. E.G. Homo & bulla, homo & Deus, Homo & equus, Homo & lapis, Homo & planta, &c. ſunt diſparata, quia ſingula differunt, ut homo & non homo, bulla & non bulla, Deus & non Deus, equus & non equus, lapis & non lapis, planta & non planta, animal & non animal, &c. adeò ut dicere non poſſim: Petrus eſt homo & bulla ſimul, Petrus eſt homo & Angelus, Petrus eſt homo & Deus, Petrus eſt homo & equus, &c. Eſſet enim ſemper homo & non homo, bulla & non bulla, animatus & non animatus. At poculum ex auro & argento conflatum, poteſt etiam quidem dici aurum & non aurum eſſe; ſcilicet ſecundum diverſas ſuas partes: Nihilominus tamen aurum non magis deſtruit aut negat poculum, quam argentum; imo tam conſtituit poculum,
quam

quam argentum? At bulla, lapis, Angelus, equus. &c. ſimpliciter tantum negant hominem, nullaque ratione conſtituunt eum, nec conſtituere poſſunt. Ita caro, oſſa, nervi, &c. faciunt quidem in homine, ut homo ſecundum diverſas partes, carneus & non carneus, oſſeus & non oſſeus, &c. dici poſſit; non tamen negant aut deſtruunt hominem, quinimò eundem potius conſtituunt & conſervant. Id quod Diſparata, proprie dicta, non faciunt: prout in igne & frigore (ſeu frigoris ſubjecto) aquam variè alterantibus, aliiſque diſparatis, videre eſt. Ita denique ferrum ignitum dici quidem poteſt ferrum & ignis, ſed ſub temperamento aliquo, & dum mediam quaſi quandam naturam inter ferrum & ignem accepit. Nam cum ferrum alioquin duriſſimum ſit, emollitum nunc eſt ab igne, à quo & formam ignis lucidi accepit; ignis non quoque amplius mollis & flammans manſit, ſed durior quaſi evaſit. Sic & aqua tepida, frigida & calida ſed remiſsè frigida, remiſſeque calida, calore ſcilicet & frigore ſeſe invicem deſtruentibus, & temperamentum aliquod, mediamque quandam naturam, introducentibus. *Hæc noſter Zuickerus.* Sed, quis in hoc diſcurſu hominis, qui pro Philoſopho tamen & Logicæ doctore ſe gerere ſuſtinet, vel caput vel caudam inveniat? Quis quoque ex tironibus Logicis, non deſtinet ipſi ſcuticam, quòd adeo ſtolide

inſtituerit Diſparata modo cum Contradictoriis, modo cum Contrariis confundere? Non erimus prolixi in examine illorum, quæ ſemetipſa evertunt. Sed ſtrictim notabimus quædam, & quidem citra ulteriorem aut probationem, aut deductionem, quod abunde, quæ hic dicenda eſſent, præſtiterimus jam antea, ſpeciatim in Diſputat. de Diſparatis. I. Intoleranda eſt inſcitia, dicere accidentia non poſſe conſiderari oppoſita eſſe ut Diſparata: quatenus ſcil. à quibuſdam Logicis, diſparata (quæ re vera ad diverſa, ſive τὰ ἕτερα referenda eſſe in d. Diſp. oſtendimus) tanquam proprius oppoſitionis modus conſiderantur. Licet multum hic interſit, an accidentia conſiderentur in abſtracto, an vero in concreto, prout Th. 25. 26. & 27. latius docuimus. II. Æque ineptum eſt, oppoſitionem diſparatam referre ad ſolas ſubſtantias ſingulares. Cum tamen Ramus, Architectus primarius *oppoſitionis Diſparatæ*, eam indefinite ratione ſubſtantiarum (hoc eſt, qua primarum, ſive ſingularium; & qua ſecundarum ſive univerſalium) applaudentibus omnibus ſuis ſectatoribus, conſideraverit: prout latius Th. 30. 31. 32. oſtendimus. III. Quod diſparatam oppoſitionem non agnoſcat in ſubſtantiis incompletis, ſed perfectis, ſeu completis tantum, arguit hominem, audacem licet, ſi non impudentem, tum ignarum eſſe τρόπου τῆς παιδείας, tum hoſpitem in trivialibus

quoque

quoq; Logicorum libellis. Amplius legatur Th. 32. & 33. Cum vero paſſim in inepto hoc ſuo diſcurſu adducat exemplum *finiti & infiniti, animati & inanimati*: quæ agnoſci debent differentiæ, & veluti formæ Metaphyſicæ Entis, ſi conſiderentur in conceptu Formali abſtracte; oſtendit ſe non intellexiſſe veram diſtinctionem, quæ intercedit inter perfectum & imperfectum, ſimulque completum & incompletum. IV. Ineptiſſimum vero eſt, quòd toties, & quidem tam audacter, atque ſi è tripode profaretur, ingeminet, *Diſparata pariter eſſe agnoſcenda contradictoria*: excuſatum hactenus hominem noſtrum habemus, quod nactus fuerit hujuſce erroris ſocium, Crellium ſcil. Socinianum: (ſi non agnoſcere debeat præceptorem) in quo cum hoc breviter, ſed tamen ſolidiſſime, idem caſtigaverimus Th. 24. tantummodo addimus, multum intereſſe inter contradictionem implicitam (quæ in omni oppoſitionis genere, ſed cum temperamento remiſſionis notatur à quibuſdam) & explicitam. Nec, quæ implicitam contradictionem includunt, æque ſibi adverſari, atque vera contradictoria, quæ ſunt oppoſita immediata, inconciliabilia. V. Proprium eſt Zuickero (nec putem alterum æque ineptum inventum fuiſſe) confundere diſparata cum contrariis, ut oſtendit non modo diſcurſus de igne & frigore, calore & frigore, item de calido, frigido, & tepido,

honorandus equidem ulmorum faſce. Atque intelligere ipſum contraria ſtricte ſumpta, ſeu Phyſica, oſtendunt non modo antecedentia & conſequentia, ſed arguunt quoque hæc lepida Philoſophiæ Zuickerianæ emblemata, excerpta è pag. 20. *Si homo & bulla, etiamſi* (inquit) *corpora ſint, propterea tamen diſparata & contradictoria dicuntur, quod alterum corpus animatum, alterum inanimatum ſit; & hæ contrariæ qualitates, ſcil. animatum & non animatum eſſe, ſimul de neutro corpore prædicari poſſint.* Papæ! Denominationes formæ ſubſtantialis erunt qualitates. Ergo, mutemus Logicam, & doceamus ſubſtantias æque Phyſice ſibi poſſe contrariari; atque contrarietas proprie dicta intercedit inter quaſdam qualitates. Accurate verò loquendo, animatum & inanimatum, æque conſiderari poſſunt ut diverſa, atque lapis & animal. Qui diſparata cenſent eſſe, ſuo fruantur ſenſu. VI. Haud feliciorem ſe probat Philoſophum eſſe Zuickerus, quando tum in verbis jam antea exhibitis, tum ſæpe alias inculcat, Diſparatorum hanc rationem eſſe, ut unum alterum ſemper deſtruat & neget. Debuiſſet enim diſtinxiſſe, & clarius locutus eſſe. Rigide loquendo, verbum deſtruendi non poteſt hic locum habere. Quæſtio vero eſt hæc: *An, quæ diſparata, ſeu diverſa ſunt, poſſint ſimul verè attribui eidem tertio:* & conſequenter pariter, *de eodem tertio prædicari.* Certum eſt, diverſa, ne quidem

ratione

ratione tertii eſſe poſſe eadem, ut oſtendimus Th. 46. Interim tamen diverſa accidentia eidem ſuppoſito poſſunt accidere, & de eodem æque verè prædicari in concreto, ut probatum Th. 27. Pariter duo ſubſtantialia principia, ad modum diverſorum conſideranda, & unum per ſe compoſitum conſtituentia, paronymice de eodem compoſito prædicari poſſunt, Th. 33. Simul & duæ naturæ ſe totis diverſæ, ſed aptæ uniri in unam hypoſtaſin, non quidem in abſtracto, ſic enim ſemper manent diverſæ, ſed in concreto, ratione unius & ejuſdem hypoſtaſios, quâ ſimul gaudent, de ſe invicem prædicari poſſunt, ut oſtenſum Th. 34. 35. 36. ſed, de hoc, cum ſit primarium τὸ κϱινόμενον, poſtea pluribus agemus. Imo duæ ſubſtantiæ completæ, quæ coëunt ad aliquod tertium conſtituendum, de eodem tertio ſimul verè prędicari poſſunt. Quomodo de mulo poteſt dici, quòd ſit equus & aſinus. Quorum ratione non inconvenienter uſurpaveris verba A. Gellii qui ita lib. 7. cap. 21.: *Cum duo ita inter ſe oppoſita ſunt & cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio miſceatur, non refert, utrum per extremitatem prioris aut per initium ſequentis locus ipſe confinis demonſtretur.* Aſinus & equus indiviſim (ita loqui fas eſt) cohærent in mulo, adeoque ab utroque (licet cæteroquin diverſis) denominari poteſt. VII. Quæ garrit de carne, oſſibus, & nervis &c. item de auro, & argento, ſimul in poculo oc-

honorandus equidem ulmorum faſce. Atque intelligere ipſum contraria ſtricte ſumpta, ſeu Phyſica, oſtendunt non modo antecedentia & conſequentia, ſed arguunt quoque hæc lepida Philoſophiæ Zuickerianæ emblemata, excerpta è pag. 20. *Si homo & bulla, etiamſi* (inquit) *corpora ſint, propterea tamen diſparata & contradictoria dicuntur, quod alterum corpus animatum, alterum inanimatum ſit; & hæ contrariæ qualitates, ſcil. animatum & non animatum eſſe, ſimul de neutro corpore prædicari poſſint.* Papæ! Denominationes formæ ſubſtantialis erunt qualitates. Ergo, mutemus Logicam, & doceamus ſubſtantias æque Phyſice ſibi poſſe contrariari; atque contrarietas proprie dicta intercedit inter quaſdam qualitates. Accurate verò loquendo, animatum & inanimatum, æque conſiderari poſſunt ut diverſa, atque lapis & animal. Qui diſparata cenſent eſſe, ſuo fruantur ſenſu. VI. Haud feliciorem ſe probat Philoſophum eſſe Zuickerus, quando tum in verbis jam antea exhibitis, tum ſæpe alias inculcat, Diſparatorum hanc rationem eſſe, ut unum alterum ſemper deſtruat & neget. Debuiſſet enim diſtinxiſſe, & clarius locutus eſſe. Rigide loquendo, verbum deſtruendi non poteſt hic locum habere. Quæſtio vero eſt hæc: *An, quæ diſparata, ſeu diverſa ſunt, poſſint ſimul verè attribui eidem tertio*: & conſequenter pariter, *de eodem tertio prædicari.* Certum eſt, diverſa, ne quidem

ratione tertii eſſe poſſe eadem, ut oſtendimus Th. 46. Interim tamen diverſa accidentia eidem ſuppoſito poſſunt accidere, & de eodem æque verè prædicari in concreto, ut probatum Th. 27. Pariter duo ſubſtantialia principia, ad modum diverſorum conſideranda, & unum per ſe compoſitum conſtituentia, paronymice de eodem compoſito prædicari poſſunt, Th. 33. Simul & duæ naturæ ſe totis diverſæ, ſed aptæ uniri in unam hypoſtaſin, non quidem in abſtracto, ſic enim ſemper manent diverſæ, ſed in concreto, ratione unius & ejuſdem hypoſtaſios, quâ ſimul gaudent, de ſe invicem prædicari poſſunt, ut oſtenſum Th. 34. 35. 36. ſed, de hoc, cum ſit primarium τὸ κρινόμενον, poſtea pluribus agemus. Imo duæ ſubſtantiæ completæ, quæ coeunt ad aliquod tertium conſtituendum, de eodem tertio ſimul verè prędicari poſſunt. Quomodo de mulo poteſt dici, quòd ſit equus & aſinus. Quorum ratione non inconvenienter uſurpaveris verba A. Gellii qui ita lib. 7. cap. 21.: *Cum duo ita inter ſe oppoſita ſunt & cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio miſceatur, non refert, utrum per extremitatem prioris aut per initium ſequentis locus ipſe confinis demonſtretur.* Aſinus & equus indiviſim (ita loqui fas eſt) cohęrent in mulo, adeoque ab utroque (licet cæteroquin diverſis) denominari poteſt. VII. Quæ garrit de carne, oſſibus, & nervis &c. item de auro, & argento, ſimul in poculo oc-

currentibus, tam obſcura ſunt ut mihi Davo ænigmata videantur, quæ nec credo ipſum ſcriptorem, qui ubique ſepiam effundit, adhuc intelligere. Quum vero hæc neget diſparata eſſe, eo quod non deſtruant illud quod per ea & ex iis conſtituitur: pueriliter petit principium: ſcil. quæ à Logicis quibuſdam Diſparata vocantur, cum re vera diverſa ſint, non poſſe ſimul occurrere in aliquo tertio, quin ibi ſe deſtruant. Quæro, an hoc aurum & argentum non ſint diſparata? Negare non poteſt, hoc enim aurum, & hoc argentum eſt ſubſtantia ſingularis completa; quod requiri, antea audivimus in definitione Diſparatorum. Sed ex hoc argento, fit hic ſcyphus, cui ut obducitur ratione ſuperficiei & intus & extra bractea hujus auri; ita ſimul dicere poſſum hic ſcyphus eſt argenteus, & hic ſcyphus eſt aureus. Nec refert ratione diſtinctarum partium eſſe aureum & argenteum. Cum de toto ſuppoſito vere & proprie dicere liceat eſſe aureum, & eſſe argenteum. Cum pariter vero caro, oſſa, nervi, &c. licet partes corporis, agnoſci debeant, juxta illa, quæ antea ſunt dicta, diſparata (prout communiter ab auctoribus definiuntur) & humanum corpus per illa non minus conſtituatur, quàm dicere liceat, corpus humanum eſt oſſeum, eſt carneum, & nervoſum; patet fruſtra eſſe novum hunc Logicum, quando contendit, diſparata non poſſe,

circa

circa ſcil. deſtructionem, coire ratione alicujus tertii, de quo ſimul vere prædicentur. Quæ ſubjicit de igni & frigore, hominis non minus ignorantiam pertinacem, quam & extremam impudentiam arguunt. Pro igni, calorem ut debuiſſet ſubſtituere, ita calor & frigus ſunt contraria & quidem mediata, quæ ex contrariis non poſſe fieri Diſparata, ut aliis ante Zuickerum viſum eſt, oſtendimus Th. 29. Ex lepidis hiſce principiis pag. 57. & 58. hoc conſectarium elicit: *Ex his igitur nunc* (inquit) *clariſſime patet, hominem & Deum ſemper manere diſparata, deque Chriſto ſimul dici nulla ratione* poſſe. *Et eſſent quidem aliæ adhuc rationes, hoc ipſum evincentes: ut quod duæ perſonæ, verus ſcilicet & perfectus homo, veruſque Deus, unum idemque ſubjectum conſtituere nequeant, quodque duæ perſonæ hâc ratione partes tantùm unius ſubjecti futuræ eſſent; imò, quod actiones unius perſonæ alteri contrariæ, aut ab altera tantùm diverſæ, non forent totius ſuppoſiti.* Quibus jungimus illa, quæ habet pag. 52. ubi *ſequentia offendo:* Quanquam probare opus non eſſet, hominem & Deum eſſe diſparata, cum Lutherani, quibuſcum hactenus egi, id mihi ſemper conceſſerint; concedatque Botſaccus in Anticrellio, & Diterichus in Dialectica ſua, imo Biſterfeldius quoque in lib. cont. Crellium, p. 576. prout verba ejus §pho 37. etiam allegabuntur: ut tamen res eò clarior adhuc evadat, pateatque ſimul, quid propriè Diſparata ſint,

quandoquidem Logici de iis hactenus obſcurius egerint; vel occaſione conceſſionis tuæ pag. 55. ubi hominem & bullam revera diſparata eſſe ais, id ipſum nunc ulterius ita probo: Si homo & bulla etiamſi corpora ſint, propterea tamen diſparata & contradictoria dicuntur; quod alterum corpus animatum, alterum verò inanimatum ſit; & hæ contrariæ qualitates, ſcilicet, animatum & non animatum eſſe, ſimul de neutro corpore prædicari poſſint: multò magis Homo & Deus, qui duo ſummè ab invicem diſtant, adeò ut Deus ne corpus quidem habeat, ſed prorſus incorporeus ſit; imò nec animatus quoque aut animalis, quemadmodum homo, dici poſſit; Diſparata & contradictoria ſunt, neque ſimul de uno eodemque ſubjecto prædicari poſſunt. Diſtat namque Homo & Deus, ut homo & non homo, Deus & non Deus, corporeus & incorporeus, finitus & infinitus, creatura & Creator, compoſitus & non compoſitus, animalis & non anilis, localis & illocalis, non æternus & æternus, comprehenſibilis & incomprehenſibilis mortalis & immortalis, factus & non factus. *Hæc Zuickerus.* Quæ, cum complectantur palmarium hominis argumentum, quo ſe imperitis hactenus oſtentat, merentur diligenter, ſed tamen breviter (quòd omnibus Diatriba prima occurrerimus) examinari. 1. Non diffiteor, multos inhærentes doctrinæ Melanch-

thonis

thonis cenſere diſparata eſſe Deum & hominem, & poſſe ut talia conſiderari, ratione τοῦ Θεανθρώπου Chriſti: verum ſalva in reliquis virorum egregiorum exiſtimatione, invictis argumentis, & perſuadentibus, propoſitis pag 37. debui in alia omnia ab illis recedere. Nec ego ſolus ita ſtatui; ſed, præter me quoque Goclenius, Libavius, Guthberlethus, & Theologus conſummatiſſimus Albertinus. Cur vero iis, quos cenſet ſibi eſſe ὁμοψήφους, accenſeat Dn. Biſterveldium, non video: videtur mihi hoc bona minus fide facere. Nam lego apud illum lib. adverſus Crellium pag 574. ſequentia: *Etenim omnia diſparata, ipſo adverſario docente, ſunt oppoſita. Oppoſita vero ſunt ejuſmodi diſſentanea, quæ inter ſe convenire, ſeu uniri nequeunt. At ſumma deitas, & humana natura poſſunt inter ſe uniri, & quidem intrinſece: non igitur ſunt diſparata.* ſcil. conſiderata ratione Unionis, & in concreto. Aliàs in abſtracto Deitas & humanitas ſpectata, ſunt diſparata, ut docemus pag. 38. hujus Tractatus. 2. Ratione Chriſti, qui Θεάνθρωπος Deus & homo non diſtant infinite, ſiquidem per unionem hypoſtaticam Divina natura humanæ ſociata eſt: ſed, Divina natura & humana in abſtracto conſiderata, atque extra hanc unionem, ſunt primo diverſa, atque tanta inter illa intercedit diſtantia, quanta inter Ens infinitum & finitum. 3. Gratis iterum dicit, & jam antea fuſe eſt everſum, Deum & homi-

hominem in concreto, atque ratione habita unius & ejuſdem perſonæ eſſe contradictoria: ne quidem hoc conſiderandi modo ſunt diverſa, aut, ut alii loquuntur, diſparata. 4. Quæ cumulat tanquam diverſa prædicata, ratione Divinæ & humanæ naturæ, libenter concedimus, atque, certo credimus, inter illa fore perpetuam diſtantiam: quam ratione Chriſti quoq; admittimus, quum manente una perſona τοῦ λόγου, non minus ἀσυγχύτως quàm ἀτρέπτως, *Deus in æternam perſonam Divinitatis temporalem acceperit ſubſtantiam carnis*, ut memini alicubi ſic loqui Auguſtinum: manente perpetua diſtantia inter æternum & temporale, & immateriale & materiale. 5. Quod cum clare doceat in Scriptura per Spiritum Sanctum, pie & religioſe credo, libere profitendo, me non poſſe omnia, quæ in hoc myſterio, (quod eſt ſine exemplo) ſe offerunt, intelligere; nedum condigne explicare. Quod profiteri ingenue non magis me pudet, quàm Chryſoſtomum, ita loquentem hom. 3. in Euang. Johan. *Scio, quod verbum caro factum eſt. At, quomodo factum ſit, neſcio. Miraris, quia ego neſcio? Omnis Creatura ignorat.* 6. Nec tamen hic ſomnianda eſt cum multis compoſitio, aut ex duabus naturis quaſi reſultans; aut obveniens perſonæ per duas has naturas. Nam quum Divina natura per ſe Infinita, omnibus numeris perfecta & ab omni potentia paſſiva libera ſit, cum nulla omnino creatura

componi

componi vel Phyſice vel Metaphyſice poteſt; &, quæ hic videtur compoſitio intervenire, eſt compoſitio impropriè dicta, non conſideranda ratione partium, ſed numeri: ſiquidem perſona Dei jam eſt ſuppoſitum duarum naturarum, quæ ante incarnationem duntaxat ſuſtinebat naturam Divinam. Non in convenienter Thomas 3. Part qu. 9. 2. art. 3. *Perſona Chriſti conſideratur vel ſecundum illud, quod eſt in ſe, & ſic eſt ſimplex; vel ſecundum naturas in quibus ſubſiſtit, & ſic dicitur compoſita, in quantum illa ſimplex perſona ſubſiſtit in duabus naturis.* 7. Dicet noſter homo, (cui ut & ſimilibus aliis, non poteſt applicari juxta arcanum Dei judicium; illud Iuſtini Martyris: *πρόφερε ἑτοίμην λύσιν τὴν πίστιν. Fidem adhibe, quæ eſt expedita ſolutio.*) Peti ab orthodoxis, quando ita reſpondent, Principium. Sed quàm feliciter confugiat ad ſacram hanc anchoram, poſtea liquebit. Argumentum à Diſparatis, quod Zuickero eſt Achilles, ante hunc noſtrum cum oſtentarit Crellius, agnoſcendus plane Zuickeri doctor & præceptor, (ne diſcipulus in poſterum apud præceptorem aram & profugium invenire queat) meretur in ipſo Crellio caſtigari. Qui ut illud propoſuit, lib. 2. de Deo Uno, ſect. 2. cap. 6. ita *κατὰ πόδα* (ut loquuntur) ejuſdem veſtigiis inhærebimus. Initio vero ita profatur: *Vnum* (inquit) *idemque ſubjectum duo diſparata ſimul eſſe non poteſt, nec unum diſparatorum poteſt eſſe alterum, ſeu, ut in ſcholis lo-*

lis loquuntur, non poſſunt diſparata de eodem ſubjecto univocè, ſeu in quid, prædicari & quidem ſingula ſeorſum abſque ulla limitatione vel adjectione. Non poſſunt etiam de ſeſe mutuò univoce, ſeu in quid, dici; niſi fortè per metaphoram ac ſimilitudinem: ut ſi dicam, hominem eſſe leonem, vel vulpem hoc eſt, leoni, aut vulpi ſimilem. Sed figuræ hic locum non habent. Proprie enim id fieri volunt adverſarii, & velle coguntur; partim ob ſua de Chriſto dogmata; partim ab aperta ſacrarum litterarum dicta. Reſp. 1. Quæ ratio ſit diverſorum, (quæ vulgo diſparata vocant) & quatenus ratione tertii pariter de eodem, ſed ſub diſtinctione prædicari queant, abunde in Diſputatione oſtendimus. 2. Quamvis Divina & humana natura in abſtracto cenſeri debeant diverſa: non tamen pariter in concreto, atque ratione Divinæ perſonæ in qua ὑποςατικῶς uniuntur, ut fuſius probavimus Diatriba prima. Nam quæ diſparata, ſeu diverſa ſunt, ſeparatim conſiderata, in tertio, in quo uniuntur, habita interim ratione diſtinctionis, neceſſario hic adhibendæ, conſentanea cenſeri debent. Quemadmodum in Diſput. Th. 33. probavimus exemplo hominis, conſtantis anima & corpore. Fateor quidem hoc exemplum non quadrare per omnia: interim ſervit illuſtrandæ noſtræ ſententiæ. 3. Natura humana aſſumpta ἀλόγῳ, ſeu Divina perſona, cum deſtituatur propria ſubſiſtentia, per ἐνυπόςασιν hanc, & quatenus ἐν τῷ λόγῳ ſubſiſtit ὑποςατικῶς, ſic uni-

ſic unitur in tempore Divinæ naturæ, quæ ab æterno habuit hanc ὑπόστασιν; Ut Deus & homo, quatenus conſtituunt unam & eandem perſonam τοῦ Θεανθρώπου, evadant unum perſonaliter. Non ſecus atque anima & corpus, quæ à ſe invicem diſtinguuntur ut diverſa, per unionem conſtituunt unum eſſentia, nempe hominem. Pergit dicto cap. 7. Crellius, *ita loquens*: Cur verò diſparata iſto, quem diximus, modo, de uno eodemque ſubjecto dici neqeant, nedum de ſe invicem, ratio hæc eſt: quia diſparata ſunt oppoſita, quanquam laxiori oppoſiti ſignificatione, quàm Ariſtoteles id nomen acceperit. Atque id non diffitentur adverſarii. Vident enim, diſparata tacitam in ſe contradictionem continere, quæ oppoſitio eſt maxima & irreconciliabilis. Etenim per differentias eſſentiales, quibus ſibi invicem opponuntur, ſe mutuò excludunt, & alterum negatur eſſe alterum. Sic homo v. g. & equus differunt, ut homo, & non homo; rationale & non rationale; equus, & non equus. Homo & planta differunt, non tantùm ut homo, & non homo; ſed etiam ut animal & non animal; ſeu ut ſenſitivum & non ſenſitivum, & quantò longiùs alterum ab altero diſtat, tanto plures reperiuntur inter illa differentiæ eſſentiales, quas genericas vocant, tantoque plures emergunt inter illa contradictiones. Jam verò, ſi quicquam in ſubſtantiæ genere ab homine diſtat,

ſtat, is Deus eſt, ſi modò Deum ad ſubſtantiæ genus referre per adverſarios licet: id quod hic ſtatuere nihil eſt neceſſe. Imo ſi eum à ſubſtantiæ genere excludas, tanto longiùs ab homine diſtabit, tantoque plures inter illum & hominem orientur differentiæ atque contradictiones; quæ efficiunt, ut ii, inter ſe opponantur. Differunt enim homo & Deus, ut homo & non homo, animal & non animal; corpus naturale, & non corpus naturale; & ſi quæ adhuc aliæ reperiuntur differentiæ, quibus Deus ab hominis generibus diſpeſcitur. *Hæc rurſum Crellius.* 1. Quid cenſendum ſit de contradictione, quam adverſarii in Diſparatis occurrere contendunt, ſupra diſtincte expendimus. 2. Quæ vero habet de differentiis eſſentialibus accurate ſunt expendenda: Falſum enim eſt, quo longius unum ab altero diſtat, tanto plures intervenire differentias eſſentiales, proprie ſcil. dictas. Nam differentia generi inexiſtens virtualiter, ita hoc dividit, ut conſtituat ſpeciem; atque ſpecies, proprie loquendo, inter ſe differunt oppoſitis differentiis, relatæ ſcil. ad ſuum genus. Licet differentia diviſiva inferioris, ſit quoque diviſiva ſuperioris: quomodo rationale, quod dividit animal, ſic dividit animal, ut dividat etiam corpus vivum, corpus, ſubſtantiam: remote ſcil. Sed ut rationale dividit hominem & plantam, quoniam etiam dividit corpus vivum: Ita ſenſitivum non dividit ho-

minem & plantam: ſed animal & plantam. Eoque male dicitur, homo differentia eſſentiali dividi à planta: neque enim homo & planta ſunt ſub eodem genere proximo. Differunt quidem genere: ſed non ſequitur, quæ genere differunt, differunt quoque differentiis eſſentialibus. Subſtantia & quantitas ſunt quidem duo ſuprema genera, non poſſunt tamen dici differre differentiis eſſentialibus: nam non continentur ſub eodem genere proximo. 3. Omnes differentiæ debent eſſe poſitivæ, adeoque fruſtra eſt novus hic Logicus obtrudens differentias mere negativas, pro veris differentiis. 4. Verum quidem eſt prædicata homini eſſentialia convenientia aut ſpecifice, aut ratione generis proximi, non convenire plantæ. Interim vivere, & eſſe corpus, & eſſe ſubſtantiam, tam prædicantur de homine, quàm de planta: atque ut corporis differentia eſt eſſe vivum, ſeu animatum, ita non minus vivum dicitur de planta, quam de homine: nam omnis differentia conſtitutiva ſuperioris, eſt etiam conſtitutiva inferioris. Certo argumento hominem & plantam, non opponi ut hominem & non hominem, ſeu contradictorie. Nam non homo nulla habet prædicata hominis, & cum ſe habeat mere negative, & tanquam non ens, nulla quoque habet attributa, nec quid de eo affirmari poteſt: cum tamen planta & homo communia habeant prædicata, & qui-

dem eſſentialia. 5. Æque falſum eſt, quod dicit, ea, quæ differunt differentiis eſſentialibus, differre quoque contradictoriè. Neque enim ſpecies diverſæ communis generis, quæ opponuntur tanquam diverſa, cenſeri poſſunt opponi contradictorie. Contradictoria juxta Ariſtotelem lib. 10. Metaph. cap. 4. ſunt *illa, quorum unum de ente, alterum de non Ente ſine medio dici neceſſe eſt.* Cumque nullum habeant medium, infinita inter illa diſtantia intercedere dicitur. Alia vero ratio eſt Diverſorum. 6. Verum quidem eſt Deum & hominem in abſtracto eſſe primo diverſa, & in nullo ſuperiori convenire univoce. Interim utrumque eſt poſitivum, cum alterum contradictoriorum, ſit merum non ens, ſeu, non ens negativum: atque licet non conveniant Deus & homo juxta limitationem in conceptu univoce, conveniunt tamen in conceptu Entis analogico: cumque, ut fuſe antea eſt oſtenſum, uni ſuppoſito & Deitas & humana natura accidere poſſint: citra contradictionem quoque conſtituunt Θεάνθρωπον. Progrediendum quoque eſt ad alterum Crellii caput, quo patrocinari laborat ſuæ reſponſioni. *Ita vero ibi loquitur:* Hinc quoque liquet, quam inepte concludat: Ergo Deus & homo de eodem ſubjecto, quale eſt Chriſtus, ſimpliciter atque abſolutè, & quidem univocè ſeu in quid, prædicatur. Quæro enim ex ipſo num hæ prædicationes ſunt propriæ, univocæ,

& ab-

& abſolutæ, Homo eſt ens intelligens? Homo eſt corporeus? Quin propriæ & univocæ ſint negare neutiquam poterit. Num abſolutas dicturus ſit, neſcio. Utrumque enim poteſt defendi. Si enim totum compoſitum appellent, ſunt abſolutæ: ſi verò tantum naturas indicent, ſunt limitatæ. Hic enim eſt ſenſus: Homo ſecundum animam eſt ens intelligens. Homo ſecundum corpus, eſt ens corporeum. Sic quoque Deus eſt homo: Homo eſt Deus, ſunt propoſitiones propriæ, univocæ, veræ tamen: quia homo & Deus ſunt nomina ſubſtantivè concreta, non verò abſtracta. Attamen ratione ſui fundamenti ſunt limitatæ. Cum enim omne compoſitum ex partibur conſtet, & hæc prædicata à diſtinctis partibus proficiſcantur, tantum quandam limitationem includunt. Nam ut homo ſecundum animam non eſt corporeus: nec ſecundum corpus intelligens: ita nec Chriſtus ſecundum divinam naturam eſt homo; vel ſecundum humanam naturam eſt Deus: quamvis non ſit Deus ſine humanitate; nec homo ſine deitate: heud ſecus ac homo non eſt intelligens ſine corpore, nec corpus ſine anima. Cæterum ſicut non dicimus ſine tropo, Homo eſt anima, Homo eſt caro; ſic nec ſine tropo diceremus, imò neque ſic dicendum eſt: Chriſtus eſt Deitas, Chriſtus eſt humanitas: quia hæc nomina ſunt abſtracta ſeu partium, non concreta ſeu totius. *Hac ibi Crel-*

lius. Reſp. 1. Qualis ſit hæc prædicatio, *Deus eſt homo*: abunde expendi Diatriba prima: adeoque non eſt neceſſum, aliquid ſuperaddere. 2. Crellius non ſatis candide agit, quando prædicationes concretas confundit cum iis, quæ ſunt in abſtracto; item, cum non diſtinguit inter concreta perſonæ & concreta naturæ. Concreta naturę implicant quidem ſemper perſonam; ſed cum limitatione definita ad alterutram naturam. Sed concreta perſonæ, ſic ſupponunt perſonam, ut tamen à Prædicato nulla obtingat ipſi perſonæ, indifferenter ſe ad utramque naturam habenti, limitatio. Adeoque intereſt inter hæc duo, *Chriſtus eſt homo*; & *Deus eſt homo*. In priori prædicatione citra limitationem dicitur, quod Chriſtus vere homo ſit, nec opus reſtinctione ulla: at in poſteriori opus eſt limitatione: Nam Deus, ut Deus, non eſt homo; ſed Dei perſona ſubſiſtens Divinæ eſſentiæ eſt pariter homo, quatenus illa perſona humanam naturam aſſumſit. Et quoniam concreta perſonæ ſolam divinam perſonam reſpiciunt, cum propria ὑποςάσει humana natura deſtituatur: inde in Scriptura concretum perſonæ, & perſonam & divinam naturam includens, opponi ſolet humanæ naturæ. Quomodo dicit Paulus Gal. 1. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem: ſed per Ieſum Chriſtum*. 3. Intereſt inter partes vere ſic dictas, & inter partes improprie tales. Divina

vina & humana natura improprie dicuntur partes Chriſti ut θεανθρώπου. Si enim veræ partes forent, conſtituerent verum compoſitum: quod dici non poteſt, ubi enim datur vera compoſitio, ibi unum ſe habet ad modum actus, alterum ad modum potentiæ, utrumq; autem implicat quandam imperfectionem ratione compoſiti, quod eſt perfectius. Sed in Divina perſona nulla admitti poteſt imperfectio, cum ſit ens infinite perfectum & actus puriſſimus: atque ſi fiat comparatio inter naturam Divinam & humanam, neutra habet rationem aut actus informantis, aut potentiæ paſſivæ. 4. Cæterum, ſi ſermo ſit, de compoſitione hujus adhoc, quæ dicit dependentiam habitudinis relativæ, ita ut unum ſit inexiſtens, aliud vero ſubſiſtens, terminans dependentiam inexiſtentis in ipſo, perſona Chriſti dici poteſt quadantenus & improprie compoſita: cum enim prius ſubſiſteret in natura Divina, in plenitudine temporis ſubſiſtit pariter in natura humana, ſicque natura humana eſt in perſona Divina, & ſimul poſita cum ea. At compoſitio hæc non eſt propria, ſed impropria, & late ſumpta compoſitio. Adeoque non valet Crellii argumentatio: A partibus compoſiti proprie dicti, ad diſtinctas in Chriſto naturas: quæ non conſtituunt compoſitum proprie dictum: quemadmodum anima & corpus (quæ habent ſe tanquam actus & potentia) conſtituunt compoſitum Phyſi-

cum, hoc eſt, hominem. 6. Quum vero ſupra fuſe oſtenderimus, Deum & hominem, quoniam reſpectum habent ad idem tertium, ſeu ad idem ſuppoſitum, non poſſe cenſeri oppoſita, nedum diſparata: conſequenter in concreto vere & proprie non minus de ſeinvicem prædicari poſſunt, quam de tertio, ſeu de ſuppoſito, in quo ὑποςατικῶς ſunt unita. Et quidem abſque tropo. 7. Quum Sociniani quoque, ut ſupra aliquoties vidimus, Chriſtum fateantur verum quoque Deum eſſe, & inter nos conveniat verum eſſe hominem: mirum Crellium hic laborare de tropo. 8. Cum vero ſubjectum Chriſtus, ſupponat pro perſona, non poteſt proprie dici vel divinitas vel humanitas, vel divinitas & humanitas ſimul: atque talis propoſitio non minus eſt impropria, quàm ambigua. Quomodo V. C. neque album, dicitur eſſe paries & albedo ſimul. Sed pergamus cum Crellio, qui eod. loco, *poſtremo ſic loquitur*: Inuſitatus autem hic prædicandi modus dici poteſt, non ratione falſitatis aut impoſſibilitatis, ſed ratione ſublimitatis: quia prorſus ſingularis hæc unio. Sic inuſitata quoque eſt prædicatio cùm dico: Pomus eſt pyrus. Neque enim hæc duo, Homo & Deus, prout in Chriſto ſe habent, ſunt diſparata, ut oſtendimus. Nihil autem contra nos facit, quod ſpecies reſpectu tantum partis integralis, vel quaſi integralis, non prædicetur, ſed de toto

quâ

quâ totum eſt: Quia & homo & Deus de Chriſto, quâ perſona, adeòque quâ totum eſt, omnino prædicatur. Quod verò illæ prædicationes à diverſarum partium ratione proficiſci nequeant, falſum eſt: præſertim ſi ex talibus partibus totum conſtet, ut una ſpecies individuo non ſit adæquata: quale individuum eſt Chriſtus; qui & Deus, & homo eſt; ſicut homo & immortale, & mortale ens eſt. *Hæc denique Crellius.* Hiſce verbis, propoſitiæ exceptioni quorundam Orthodoxorum porro Crellius occurrit. Recte autem *primo* negatur Deum & hominem, ratione ſcil. Chriſti, eſſe diſparata. *Secundo* qualis ſit hic inuſitatus prædicandi modus, Diatriba prima fuſius expendimus. Et, ſi auſit Zuickerus, tentet an refutare poſſit. Prædicatio inuſitata ratione materiæ, (qualem hanc fatemur eſſe, cum ſit ſine exemplo) non mox cenſeri quoque debet inuſitata ratione formæ. *Tertio*, ut toties negavimus, negationis quoque ratione reddita, Deum & hominem ratione Chriſti contradictionem tacitam implicare: ita non curanda hic iterum eſt ficta & cerebrina Socinianorum contradictio. *Quartò* quale totum aut compoſitum hic debeat agnoſci, jam antea diſtincte expendimus. De Deo autem, quando prædicatur homo: ut in hac propoſitione, *Deus eſt homo*, non eſſe proprie prædicationem ſpeciei de individuo, cum non pertineat ad eſſentiam Dei; ſed paronymicam,

& quaſi accidentalem, non quidem Metaphyſice, ſed Logice, ſupra fuſius oſtendimus. Interim tota natura & hominis & Dei, non minus Logice, quam Phyſice in concreto de Chriſto prædicatur. Vt enim tota natura hominis (quæ ſcil. conſtituit eſſentiam hominis qua Logice, qua Phyſice) prædicatur de Mævio, quando dico, Mævius eſt homo: Ita quicquid pertinet ad eſſentiam Dei prædicatur de Chriſto, ſi dicam, Chriſtus eſt Deus: & iterum, ſi dicam Chriſtus eſt homo: quicquid pertinet ad naturam hominis, prædicatur de Chriſto. *Quinto.* Licet hic agnoſci debeat, propter illa, quæ antea ſunt dicta, manifeſta differentia. Nam ſpecies diſtributa eſt per ſua individua, habentia ſe ad modum partium potentialium, ſeu Logicarum: Chriſtus vero juxta perſonam Divinam non habet ſe diſtributive aut per hominem ut ſpeciem, aut per eſſentiam Divinam: quæ non poteſt ſpecies cenſeri ratione perſonarum Deitatis. *Sexto.* Interim ut ſpecies proprie dicta diſtributa per ſua individua, prædicatur de unoquoque eorum cum limitatione certa; (Nam quando V.C. dico, Mævius eſt homo: homo, id eſt, tota natura humana ſic de Mævio prædicatur, ut ad eum ſpecialem habeat reſpectum, & ſenſus ſit, Mævius eſt hic homo, præditus omnibus illis, quæ ſunt homini eſſentialia.) ita, cum Chriſtus hominem aſſumpſerit non ſecundum ſpe-

ciem,

ſed individualiter: homo juxta omnia eſſentialia æque de illo prædicatur, atque de eodem Deus. *Septimo.* Iterum inculcandum, quod quando Deus & homo prædicantur de Chriſto, non prædicentur ut partes proprie dictę de illo: ſiquidem Chriſtus non poteſt cenſeri totum proprie dictum, ſed improprie dictum: (ut antea oſtenſum eſt) atque ut Deus & homo juxta naturam individualem, (non quidem Logice, ſeu diſtributivè; ſed Metaphyſice) hoc eſt eſſentia Divina in ſe ſingulariſſima, nec ſub ſpecie ſubſiſtens, ſimul hæc ſingularis natura humana Phyſice & Metaphyſice ſpectata (nam Ligice ſpectata conſtituit diſtinctam perſonam) conveniunt in unitate perſonæ, quæ utramque naturam ſuſtinet: ita prædicantur complete in concreto de perſona. Si hoc completum volueris vocare totum, prout antea à nobis oſtenſum eſt, debes diſtinguere inter totum proprie, & improprie dictum. *Octavo* cum perſona λόγȣ tam ſuſtineat humanam naturam ſingularem & Phyſice completam, quam Divinam in ſe ſingulariſſimam & perfectiſſimam, ipſaque ſit indiviſibilis; non poteſt ſecundum aliam atque aliam ſui partem reſpicere Divinam & humanam naturam: quemadmodum homo conſtans duabus partibus eſſentialibus, anima ſcil. & corpore, ratione illius immortalis, ratione verò hujus mortalis eſt. Licet interim hæc ipſa perſona ratione attributorum diſtinctis natu-

ris competentium, cum limitatione ad illas naturas deſtinċte conſiderari poſſit, imo & debeat. Sic quando dicitur Chriſtus eſſe omnipræſens, & corporeus, hæc limitate ad diſtinctas naturas intelligi debent. *Nono.* Deus & homo in concreto connotant quidem perſonam Chriſti; ſed cum reſpectu ad certam naturam: perſona vero non eſt totum proprie dictum, ex illis naturis tanquam partibus compoſitum; ſed aliquid, quod ut duabus naturis, ſe totis diverſis, ſubſtat, compoſitum improprie & *ſecundum numerum* dicitur. Non valet autem conſequentia à compoſito, improprie ſic dicto, ad compoſitum proprie dictum, ut patet ex antecedentibus. *Decimo.* Chriſtus non eſt ſic ſimpliciter Deus, ut τὸ Deus ſe toto diſtet ab homine. Nam quamvis Deitas & humanitas ſe totis diſtent: in Chriſto tamen per unionem hypoſtaticam unita ſunt. Et, quia Chriſtus ad utramq; naturam habet reſpectum, non poteſt dici *ſimpliciter* eſſe homo, hoc eſt, oppoſitive ad Deum & contra. (Sic enim *ſimpliciter* intelligit Crellius.) Quamquam, ſi per τὸ *ſimpliciter* intelligas vere, & illud quod non implicat compoſitionem, dici poteſt ſimpliciter eſſe Deus; quia vere eſt Deus, nec Deitas ſe habet ad modum partis componentis. Et hæc dicta quoq; ſint adverſus Crellium; fruſtra laborantem confundere per abſurda illos, qui Deum & hominē ratione Chriſti diſparáta eſſe negant.

DIATRIBA

DIATRIBA QUINTA.

An conſentiant locutiones Sacramentales, in quibus, Orthodoxi figuram, ſeu Tropum agnoſcunt; cum locutionibus receptis circa Chriſtum, Deum & hominem?

ZUickerus, juratus hoſtis æternæ Deitatis Dn. Jeſu Chriſti, ne cenſeatur argumentum à Diſparatis deſumtum, fruſtra amentaſſe; pomum Eridis mittere amplius laborat inter Orthoxos, & Auguſtanæ Confeſſionis Theologos; (pari licet animo Socinianorum doctrinam deteſtentur, atque oppugnent) eoque pag. 538. *ita inſurgit*: Danhawerus, in Idea boni Interpret. part. 1. §. 53. Vos Reformatos conſtringens, quærit: cur, quandoquidem in Sacramento Cœnæ ad tropum confugitis, ne contradictionem ſtatuatis, *non idem quoque agatis in myſterio SS. Trinitatis? magiſnè ſibi opponantur, corpus in cœlo eſſe & eſſe in Sacramento, quàm unam eſſentiam eſſe Trinam? Cur non & hic figuras quæratis? &c.* Cum (prout in Hermeneuticâ ſacra pag. 263, addit,) *nihil tam abſurdum comminiſci poſſit ratio contra liberam verborum inſtitutionis, ut non æque abſurdum contra τὸ ῥητὸν myſterii Trinitatis, & generationis æternæ, producere poſſit? & ar-*

& argumenta rationis, proprietati literæ repugnent? Ita ſcilicet vos Danhawerus ipſe per proprias veſtras Regulas de contradictione vitanda, quas Lutheranis inculcatis, convincit? *Hæc eo loco Zuickerus.* Quod Zuickerus digitum intenderit in Danhawerum, inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos & Philoſophos non infimi ſubſellii, quædam ex illo, quòd poſtea in Examine uſui futura ſint, amplius hoc loco exhiberi debent. Eoque l. d. ſive pag. 99. *ſequentia occurrunt*: Calviniani, quia videre ſe putant contradicere ſibi has propoſitiones *Corpus Chriſti aſſidet menſæ, diviſum ab ore Petri,* & tamen *corpus Chriſti nunc non eſt in cælo, ſed in ſacramento.* Ideo ad tropum confugiunt: verentur enim, ne, ſi utramque proprie acciperent, Deum arguant contradictionis ac mendacii. Recte quidem hoc metuunt: ſed, cur non idem metuunt in myſterio SS. Trinitatis? magiſne ſibi opponuntur corpus in cælo eſſe & eſſe in ſacramento, quam unam eſſentiam eſſe trinam? *Cur non & ibi figuras quærunt, ubi Marcion, ubi Arius, ubi Manes, ubi Origenes, verba ſunt Maldonati in Harm: ad cap. 26. Matth.* cur poſteriorem potius quam priorem propoſitionem tropo afficiunt? Cur non magis tropicam aſſenſionem in cælos intelligunt, quam tropicum ſacramentum? *Hactenus ille.* Interim diverſus ſcopus eſt Lutheranorum & Zuickeri: illi contendunt verba cœnæ, licet diſparatum de diſparato prædicetur,

tur, proprie eſſe accipienda, quod in Myſterio Trinitatis diſparata de diſparatis propriè prædicentur. Zuickerus vero contrarius hac in parte non minus Lutheranis, quàm Orthodoxis omnibus, vult in Myſterio Trinitatis, quod diſparatum de diſparato prædicetur, obſervandam eſſe locutionem figuratam, eò quod Calviniani in locutionibus ſacramentalibus tropum & figuram agnoſcunt. Ut omnia liquere poſſint, ſpeciatim quòd doctrina de Diſparatis (aut potius de diverſis) tum convenienter ab Orthoxis proponatur adverſus Socinianos, tum etiam legitime urgeatur adverſus Lutheranos: ante omnia conſtare debet, quid hi cenſeant de locutionibus, in quibus diſparatum de diſparato prædicatur. Cum vero Theologorum ſuorum mentem ſummatim propoſuerit D. Gerardus in loco de Cæna, §. 92. & ſeqq. ipſius verbis hic utar: Ait ergo ſe *non ſimpliciter & abſolute aſſerere quod diſparatum de diſparato affirmate prædicatur, ſed de illis ſolum diſparatis hoc aſſerere, inter quæ unio quædam intercedit. Quatenus* inquit, *diſparata extrà unionem in natura ſua conſiderantur, eatenus affirmative de ſe invicem nequaquam prædicantur; ſed quatenus in unione invicem copulantur & unum quoddam conſtituunt, eatenus vere de ſe invicem prædicari poſſunt. Dicendum igitur quod prædicationum affirmativarum fundamentum ſit, vel unitas eſſentiæ quæ locum habet, in prædicationibus logicis, vel unitas exiſtentiæ, id eſt, unitas*

quædam

quadam vel unio extremorum. Diſparata non poſſunt de ſe invicem prædicari affirmatè reſpectu priore, quia per eſſentiam ſunt diſparata: benè autem poſſunt de ſe invicem affirmatè prædicari reſpectu poſteriore, quia per arctiſſimam unionem & ex ea ortam præſentiam invicem copulantur, & ratione illius unionis ſive uniitatis de ſe invicem prædicari poſſunt, quod extra unionem nunquam foret. Exempla affert Num. 93. Deus eſt homo, homo eſt Deus. Item, quod Joannis 20. Chriſtus inſufflans in Apoſtolos dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*: unde ſit hæc propoſitio, *flatus eſt Spiritus Sanctus.* Et ibidem c. 1. de columba, *eſt Spiritus Sanctus.* Item, de ſpeciebus illis, ſub quibus olim apparebat Deus, vel Angeli, quæ dicebantur, *Deus & Angeli.* Item de arca, quæ dicebatur Deus, propter peculiarem Dei in ea præſentiam. Imo & in vulgari uſu loquendi, ubi de dolio & vino dicitur, *illud eſt vinum Rhenanum quod amicus tibi donat*: *de* marſupio & pecunia, *accipe, hoc eſt pecunia, quam tibi debeo*: de cunis & infante, *hoc eſt infans.* Similiter, cum inter panem & corpus Chriſti ſit *unio myſtica ſacramentalis, adeoque omni humano intellectui abſcondita*, inter illa naſcitur *proprius & peculiaris loquendi modus per quem ſine tropo de ſe invicem affirmantur propter myſticam unionem.* hæc ille ſummatim. Quæ, ut proxime ſunt diſcutienda, ita Reſpondemus.

1. Inter nos & Reverendos Auguſtanæ confeſſionis Theologos non eſt controverſia an panis &

nis & corpus Chriſti, ſimiliter vinum, & ſanguis Chriſti ſint diſparata: (quomodo ſcil. diſparata vulgo dicta definiuntur) utrique enim hoc concedimus: multis ex jam dictis Theologis concedentibus quoque, hæc, ut diſparata, proprie non poſſe de ſe invicem prædicari. 2. Major eſt difficultas an hæc Chriſti locutio: *Hoc eſt corpus meum*, æquipolleat huic: *Hic panis eſt corpus meum.* Agnoſcit hoc certe Lutherus, ita enim lego in lib. de Capt. Babyl. *Pronomen* hoc *refertur ad panem: Senſus communis probat ſubjectum ſcilicet demonſtrativum eſſe panis, non corporis, dum dicit hoc eſt corpus, id eſt, iſte panis eſt corpus meum.* Et rurſus: *Oſtende pronomen hoc ad panem aptari, & ſic ſonare apoſtoli verba*, Hoc eſt corpus meum, id eſt, *hic panis eſt corpus meum. Nam textus ſic habet: accepit panem, benedixit, & fregit, dicens, hoc eſt corpus meum, &c. vides hic, ut omnia illa verba*, accepit, benedixit, fregit, de *pane dicantur. Et eundem demonſtrat pronomen* hoc, *quia illud ipſum quod* accepit, benedixit, ac fregit, *hoc inquam acceptum & benedictum & fractum ſignificatur, cum dicitur*, hoc eſt corpus meum: *non prædicatum, ſed ſubjectum demonſtratur. Non enim corpus ſuum* accepit, benedixit, & fregit, *ſed panem. Ideo non demonſtrat corpus ſed panem.* Chemnitius ſimiliter in Exam. Concil. Trident. Tom. 2. ad Seſſ. 3. cap. 4. can. 2. *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, dedit diſcipulis, &, de illo, quod accepit, quod benedixit, quod fregit,*

quod diſcipulis dedit, de illo, inquam, dixit accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum. *Et ne dubium ſit, an particula demonſtrativa denotet illud, quod Ieſus acceperat, panem ſcilicet & poculum: Lucas & Paulus in deſcriptione alterius partis diſertè hoc expreſſerunt*, accepit poculum, benedixit, dedit illis, *& addit*, τῦτο τὸ ποτήριον, hoc poculum. *Et Paulus* 1. Cor. 10. *ſicut de altera parte inquit*, poculum cui benedicimus eſt communicatio ſanguinis Chriſti, *ita etiam de priori parte, inquit*, panis quem frangimus, eſt communicatio corporis Chriſti. *Diſertè igitur declarat & exprimit, quid particula* hoc *in utraque parte denotet, panem ſcilicet & poculum. Et cùm hasce ſcripturæ explicationes habeamus, quare non inhæremus ſimplicitati veritatis? Hac ille.* Atque idem evincit ſeries verborum, quibus utuntur Apoſtoli in deſcriptione inſtitutionis cænæ Dominicę. Ita enim expreſſe Matth. cap. 26. vers. 26. *Edentibus eis, Ieſus quum accepiſſet panem, & benedixiſſet, fregit eum, deditque diſcipulis, & ait, Accipite, edite:* Hoc *eſt corpus meum.* Ubi particula Hoc, ſeu τῦτο, non tantum intelligi debet δεικτικῶς, ſeu demonſtrative, ſed etiam relative: adeo ut illud τῦτο, ſive *Hoc* referatur, ad præcedentia: *Accipite, comedite. Hoc eſt*, &c. Et ſit ſenſus: *Accipite Illud, quod accipere atque comedere vos volo, id eſt, corpus meum.* Quod vidit inter Lutheranos, recentiores quoque, Nicolaus Selneccerus, nam in lib. quem inſcripſit *Confutationem accuſationum*

&c. pag.

&c. pag. 3. ſcribit: *Dominus dicit, Accipite, edite. Hoc (quod accipitis & editis) eſt corpus meum.* 3. Sed, ab hac ſimplici explicatione, plerique jam receſſerunt, & volunt, Hoc, non notare ſolum panem, ſed *panem & corpus Chriſti huic ſacramentaliter unitum*, ut videre eſt apud Gerardum loc. de Cœna, n. 83. 90. 93. In quem ſenſum ita loquitur Balduinus Theologus Witebergenſis Comm. in 1. ad Corinth. cap. 10. part. 2. quæſt. 2. *In propoſitione* (inquit) *Chriſti*, (hoc eſt corpus meum) Dominus *ſacramentum non panem duntaxat ſed totum complexum, ſeu ſacramentale unum* (in ſubjecto) *nominat, conſtans pane & corpore, ita ut* corpus *tanquam* principalem *theſaurum, quem mediante pane offerebat, deſignet, &* Panem, *tanquam exhibitionis Symbolum, ſeu medium* minus principale *involvat. Vnde emergit ſenſus propoſitionis* Chriſti: Hoc, quod mediante pane vobis exhibeo, eſt meum corpus. *Eundem ſenſum exprimere voluit D. Paulus ponens in ſubjecto panem, quem vocat corporis Chriſti communicationem, quia non panis duntaxat, ſed mediante pane corpus Chriſti ſimul communicatur & exhibetur.* Atque ideo Theologi Witebergici in Refutat. Orthodoxi Conſenſus, volunt eſſe diſtinctas has locutiones, *Panis eſt corpus Chriſti*, & *Hoc eſt corpus meum.* Ita enim *ibid. pag.* 21. *loquuntur*: Quod afferunt, in Malbrunenſi Colloquio, noſtros contendiſſe & pertinaciter negaſſe propoſitionem hanc: Hoc eſt corpus me-

um, æquipollere huic: Hic panis eſt corpus meum, calumnia eſt. Non enim de re aut ſignificatione vocabulorum, ſed de phraſibus, earumque diverſitate duntaxat diſputatum, & ex parte noſtra pugnatum fuit: quarum altera ſit clara, diſerta, perſpicua, & in communi ſermone uſitata, quæ nulla interpretatione indigeat, ſcilicet, quando Chriſtus inquit (panem demonſtrando:) Hoc eſt corpus meum: quemadmodum illa quoque, cum Johannes Baptiſta, Spiritum Sanctum in ſpecie columbæ deſcendentem vidiſſe dicitur: Hic eſt Spiritus Sanctus. Quando autem dicitur: panis eſt corpus Chriſti; quæ propoſitio nuſquam his verbis in ſcriptis Apoſtolorum extat, hanc propoſitionem explicatione indigere, Wittembergici Theologi urſerunt. Ingens autem diſcrimen inter has locutiones eſſe, cum dicitur: Hoc eſt corpus meum, & panis eſt corpus Chriſti, hinc conſtat; quia ſubjectum panis, propriè, & per ſe, non eſt in ſuæ eſſentiæ proprietate corpus Chriſti, ſed propter Sacramentalem unionem cum corpore Chriſti, & eſt, & dicitur corpus Chriſti, ſicut columba Spiritus S. eſt & dicitur eſſe: *Hactenus illi.* Quos κατὰ πόδα ſequi videntur D. Calixtus, D. Hornejus, & Helmeſtadienſes communiter: quos hic recedere à Luthero, itemque Chemnitio, non ſine ratione aliquis miretur. Atque Lutherum & Chemnitium ſententiam mutaſſe, hactenus mihi non liquet: ſufficit aliquan-

aliquando illud ſenſiſſe, quod quadratis quaſi literis in Scriptura eſt ſcriptum, & rationi eſt conſentaneum. ξὺν Θεῷ omnibus hiſce occurram, ſatisfacturus ita DD. Theologis Auguſtanæ Confeſſionis; ut ſimul nihil præſidii Zuickero, ad hominem argumentanti, & inſtar furioſorum undiquaque arma arripienti ſuperfuturum ſit. 4. Auſpicor Examen à Gloſſa recentiori horum Chriſti verborum, *Hoc eſt corpus meum*: quæ locutio, diverſa quaſi ab hac, (*Panis eſt corpus meum*) ſi debeat hunc ferre ſenſum; *Hoc*, quod cum pane, *hoc* quod præter panem vobis, mei diſcipuli, porrigo, *eſt corpus meum*: (adeo ut *hoc* tum deſignet panem, tum corpus reale Chriſti illi unitum:) antea probari deberet, corpus Chriſti pani unitum jam fuiſſe, cum Dn. Jeſus Chriſtus pronunciaret illud τῦτο, ſive, *Hoc*. Viri doctiſſimi videri volunt preſſè literæ Scripturæ adhærere, atque arguunt illos, quos quàm acriter ut Adverſarios inſectantur, quod à litera quaſi, & illud, quod τὸ ῥητὸν vocari ſolet, aliquanto quaſi longius recedunt. Sed, quis ita Lynceus, ut poſſit videre vel unum apicem, è quo liqueat pronomen τῦτο, ſive, *hoc*, in hunc ſenſum detorquendum eſſe. Negare non poſſunt, pronomen *Hoc*, eſſe δεικτικὸν, quidam relativum quoque eſſe concedunt: Ergo probetur, ex his proxime præcedentibus verbis, *Edentibus eis, Ieſus quum accepiſſet panem, & benedixiſſet,*

 fregit

fregit eum, deditque diſcipulis, & ait, Accipite, edite: (hic certè unius panis mentio fit) colligi poſſe, pani corpus Chriſti unitum eſſe. Quod dum accerſunt ex proxime ſequentibus verbis: *Hoc eſt corpus meum*. Illud aſſumunt quod in quæſtione eſt, atque manifeſto petunt principium. Quæ adducunt exempla, partim aliena, partim æque dubia, partim quoque ἀπροσδιόνυσα eſſe, poſtea liquebit, ubi antea alia quædam expenderimus. 5. Agamus vero ingenue, & citra ullam pervicaciam. Dnn. Adverſarij volunt hæc verba eſſe figurata, *Panis eſt corpus Chriſti*, propria vero quæ à Chriſto ſunt prolata: *Hoc eſt corpus meum*. Sed, cum poſteriora verba ſemel duntaxat in Scriptura inveniantur, ſepties vero Scriptura teſtetur panem datum eſſe à Chriſto, & panem frangi, & panem edi à fidelibus. Quæ pervicacia eſt, quod DD. Adverſarij, exemplo Pontificiorum, his vocibus, *Hoc eſt corpus meum*, mordicus inhæreant, eaſque nolint eſſe figuratas? Abſonum ſane, quòd cum tam multa loca, quibus dicitur panis edi & frangi, fateantur eſſe figurata, omnium illorum interpretationem quærant in unico loco, cum contra unius loci ſenſus & explanatio ex aliis ſeptem petenda ſit, præcipue verò ex Paulo Apoſtolo, qui noviſſime & prolixius de Sacræ Cœnæ inſtitutione & natura diſſeruit. Neque enim Chriſti munus fuit interpretari verba Apoſtolorum; ſed Apoſtoli ſunt interpretes

pretes Chriſti, qui quidem non ſcripſerunt, ut verbis Chriſti offunderent tenebras, aut ea figuris involverent, ſed potius, ut illa explanarent. Horum vero verborum, *Hoc eſt corpus meum*; planiſſima eſt Pauli paraphraſis 1.Cor.10. 16. *Panis, quem frangimus eſt communio corporis Chriſti.* In quibus verbis ut Metonymice de ſigno prædicatur res ſignificata: ita panis non eſt communio corporis Chriſti, alioquin quotquot participant illum panem, haberent quoque communionem in corpore Chriſti. At panis illius participes fieri poſſunt, ac fiunt etiam hypocritæ: qui tamen communionem cum vere credentibus in corpore & ſanguine Chriſti non habent. Sed, propriè loquendo panis ille, eſt ſignum, ſeu teſſera, ſeu denique teſtimonium communionis, quam fideles inter ſe habent in corpore Chriſti: tanquam pro ipſis omnibus ac ſingulis crucifixo. Audio quidem dici à Dnn. Adverſariis, Paulum vocare panem corporis Chriſti communicationem, *quia non panis duntaxat, ſed mediante pane corpus Chriſti ſimul communicatur & exhibetur*; item, *cum benedicto pane in ipſa ſumptione ita connecti corpus Chriſti, ut ſumpto pane, id ipſum quoque certiſſime ſumatur.* Sed, integer locus legatur ſimul & expendatur, atque non poſſe ſubſiſtere hanc gloſſam, verbis Pauli aſſutam, patebit: verſ. 14. ita incipit loqui: *Dilecti mei fugite ab idololatria. Vt intelligentibus loquor: judicate vos, quod aio. Poculum benedi-*

ctionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt. Quoniam unus eſt panis, unum corpus nos illi multi ſumus: nam omnes ex uno illo pane participamus. Cernite Iſraëlem, qui eſt ſecundum carnem: nonne, qui edunt victimas, conſortes ſunt altaris? Quid ergo dico? idolum aliquid eſſe, aut, quod idolis immolatum eſt, aliquid eſſe? Imo, illud dico, quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo, nolim autem vos conſortes dæmoniorum eſſe. Ex quibus ut patet, Pauli ſcopum eſſe, deterrere Corinthios ab eſu ciborum idolis conſecratorum; ita argumentum inde petit: Quòd haud æquum ſit, ut cum participes ſint panis & calicis illius, qui ſunt communio corporis & ſanguinis Chriſti, ſimul reddantur participes abominandorum dæmoniorum, quod fit, quando edunt cibos dæmoniis dicatos. Inde vero ita argumentamur: Quemadmodum cibi idolis conſecrati, ſunt participatio dæmoniorum: ita & panis quem frangimus, & calix cui benedicimus, ſunt communio corporis & ſanguinis Chriſti. At cibi idolis conſecrati ſunt participatio dæmoniorum, etiamſi dæmonia non ſint ſub iis & cum iis, nec oraliter cum iis ſumantur. Ergo panis, quem frangimus, & calix cui benedicimus, communio ſunt corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, etiamſi in, cum, & ſub pane non ſit corpus Chriſti, & in, cum, ſub vino non ſit ſanguis Chriſti, atque neutrum

oraliter

oraliter mediante pane & vino ſumatur. Nam, ut Apoſtolus manifeſtam & quidem ſubſtantialem facit diſtinctionem inter cibos dæmoniis dicatos, & inter dæmonia ipſa: ita juxta mentem Apoſtoli, (quô comparatio ſit legitima) ſimilis quoque diſtinctio intercedit, inter panem & calicem menſæ Dominicæ, atque inter corpus & ſanguinem Domini. Et conſequenter dici non poteſt, mediante pane, oraliter & realiter quoque exhiberi reale corpus Chriſti; haut magis, quam quod quidam ex Corinthiis, mediantibus idolothytis oraliter & realiter comederint ipſa dæmonia. Eoque Pauli verba, quod corpus & ſanguis Chriſti ſint communio corporis Chriſti, ita intelligi debent, quod nos, non quidem oraliter & realiter, verum myſtice faciant κοινωνὺς ſocios & conſortes Chriſti & beneficiorum, quæ corporis & ſanguinis ſacrificio peperit: ſicut κοινωνοὶ dæmoniorum fiunt, non qui oraliter & realiter dæmonia edunt, ſed qui myſticam conſociationem, ſeu confæderationem cum dæmoniis colunt. Idem ſuadet vox κοινωνία: quę ut fidelibus intercedit cum Deo & Chriſto, ubique in Scripturis explicatur ſpiritualiter Johan. 6. & 15. 1. Cor. 3. & 6. 1. Joh. 1. nuſquam vero uſum corporalem Dei vel Chriſti ſignificat. 6. Exempla quoque quæ adfert D. Gerardi, & quæ alii identidem crepant, pariter ad rem non faciunt. Demus enim *primo* liberaliter has propoſi-

poſitiones in Scriptura inveniri: *Flatus eſt Spiritus Sanctus, columba eſt Spiritus Sanctus, hæc effigies eſt Deus, arca eſt Deus*, &c. Non tamen poſſunt ſervire ſcopo virorum reverendorum. Nam certiſſimum eſt *flatum, columbam, effigiem, arcam*, &c. quæ ſtant pro ſubjecto, non duas res, ſed unicam duntaxat ſignificare: cum vero prædicata ſint vere diverſa, aut, (ut vulgo loquuntur) diſparata, quatenus taliter affirmantur non poſſunt niſi figurate affirmari. Quod inde conſtat, quoniam in his exemplis, identitas affirmationis à parte prædicati locum habere non poteſt: neque enim flatus ille ſenſibilis proprie Sp. Sanctus erat, nec columba, ſeu vera, ſeu phantaſtica, idem ille Spiritus; nec ſpecies ſeu effigies ipſe Deus, aut denique arca fœderis in ſe res materialis, ipſe Deus inviſibilis: ſed erant aliquid diverſum, ſeu, ſi ita loqui velis, aliquid à Deo diſparatum: cum tamen affirmentur, cenſendum eſt affirmari modo figurato, & ſecundum rationem ſignificationis, quatenus tanquam ſigna ſenſibilia ſignificabant & repræſentabant inſenſibilem Deum, de quo quando prædicantur; (ſic ut dicatur Deus ſive videri, ſive ſentiri) hoc intelligendum eſt figurate, quatenus per ſymbola ſenſibilia repræſentatur. Abſonum enim eſt fingere Dei, qui & incorporeus & inviſibilis eſt, localem & ſimultaneam exiſtentiam ſive in flatu viſibili, ſive in columba, ſive

ſive in columba, ſive in arca, ſive in ſimili re ſenſibili. Si ergo cum his locutionibus, tanquam ſimilis componi debeat hæc Sacramentalis propoſitio, *Hoc*, ſive, *hic panis benedictus eſt corpus Chriſti*; patet alium ſenſum eſſe non poſſe, quàm, hic panis ſignificat corpus Chriſti, velut illius ſymbolum, ſeu ſignum ſacramentale. *Secundo*, reliqua exempla, deſumpta à communi loquendi uſu (hic neque tropos, neque figuratas locutiones per omnia reſpuit) minus adhuc auſpicato adducuntur. Nam ut ſunt propoſitiones comparatæ, ita prædicantur de una ſolum re: neque enim hic eſt ſenſus, *hoc dolium*, &, *id quod in eo exiſtit*, *vinum eſt*: *hoc marſupium*, &, *quod in illo reconditum*, *pecunia eſt*: *hæ cunæ*, & *quod in illis cubat*, *infans eſt*. Sed, ſenſus eſt, rem in dolio contentam eſſe vinum, rem contentam in marſupio eſſe pecuniam, rem in cunis cubantem eſſe infantem. Nam, ſi exinanitum fuerit dolium, & ſolo aëre plenum, inepte dicetur, hoc eſt vinum: de marſupio araneis pleno ſi diceretur, accipe pecuniam, nemo ſanus, cui ſummæ alicujus ſolutio deberetur, manum extenderet: ſi infans cunís quoque exemptus fuerit, neutiquam dici poteſt hic recubat infans. Ut ergo, quò veræ ſint hæ locutiones, contentum ſociatum eſſe debet ſuo continenti; ita in locutionibus præcedentibus agnoſci debet ſive Synecdoche, ſive, Metonymia continentis: (de nomine non con-

contendemus, modò de re conſtiterit) quatenus de illis, quæ, ex hominum uſu aliquid continent, prædicatur res contenta. Adeoque, ſi aliquod præſidium collocari poſſit, in his locutionibus, antea probari deberet, quod, quemadmodum certum eſt in vaſe vinum, in marſupio pecuniam, in cunis infantem contineri; ita in pane contineri corpus Chriſti. Quod certe ex hac formula, *Hoc eſt corpus meum*, probari hactenus non poteſt, quia non æque liquet, atque de propoſitionibus præcedentibus, quibus, ſi detur quoq; reſpondere formulam ſacramentalem, *Hoc eſt corpus meum*; non magis tamen *panis, benedictus* licet, erit proprie *corpus Chriſti*, quàm *dolium ligneum* proprie *vinum*; aut *marſupium coriaceum* proprie *pecunia argentea*; aut *cunæ ligneæ*, quæ ſunt inanimatæ, *infans vivus*. Ne jam dicam, quòd quidam ex DD. adverſariis, qui pro confirmanda ſua ſententia hæc & ſimilia exempla ſollicitant, tropum quoque agnoſcant. Certe apud Brentium in *exegeſi cap. 6. Iohannis ſequentia lego*: Omnino tamen tropo quodam opus erit, quando reipſa videamus, panem non mutari in corpus, nec vinum in ſanguinem. Quis igitur eſt iſte tropus? Cave ne admittas Caroloſtatiani ſpiritus tropum, is enim privabit fidem ſuis bonis, quanquam nihil minus videri velit; ſed exitus probabit acta. Quem autem admittam? Eum admittas, qui eſt in Scriptura, & in communi hominum con-

conſuetudine familiariſſimus, nempe ſynecdochen, quæ eſt figura, quando aut ſub parte totum, aut ſub toto pars intelligitur. Similiter quando totum datur, & pars præcipua ſolum nominatur. Ut ſi quis tibi in cunis puerum jacentem exhibeat, pro communi conſuetudine dicere ſolet: En accipe puerum, & alia ſepone. Ita in Cœna Dominica duo nobis offeruntur: panis & corpus, ſolum tamen corpus nominatur, quod eſt in hac diſtributione præcipuum. Ad hanc igitur figuram exige Chriſti verbum: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Panis enim jam corpus eſſe dicitur, non quia ſolum ſignificat, ſic enim abeſſet corpus, ſed quia inſtrumentum & medium factum eſt, quo verè & præſenter fidei noſtræ corpus donatur ac diſtribuitur. *Hactenus Brentius.* Omiſſis reliquis, in præcedentibus abunde caſtigatis, quæ de Tropo dicit, hactenus admittimus, maxime, quod non ſolum tropum aliquem agnoſcat, ſed, tropo quoque opus eſſe doceat. Adeo, ut, fatente Brentio, hactenus genus habeamus, eoque præeunte, pateat verba inſtitutionis, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe affecta aliquo tropo, nec poſſe intelligi κατὰ τὸ ῥητόν. Cum enim propoſitio hæc, *Hoc eſt corpus meum*, ſeu, *Panis benedictus eſt corpus meum*, ſit prædicatio diſparati de diſparato: atque, conveniat, veram eſſe debere (promanavit enim ex ore ipſius Dn. Jeſu Chriſti; qui eſt *ipſa veritas* Joh. 14.) neceſſum

ceſſum eſt: ſit vel *propria*, vel *impropria*. Quòd quidam dicunt eſſe *inuſitatam*; quę, quaſi tertia, interveniat inter propriam, & impropriam, in eo non conſentiunt, & ſibi quoque contradicunt. Sed vela tandem contrahamus: ut ergo propoſitiones, quæ velut parellelæ oſtentatæ fuerunt, non potuerunt cenſeri propriæ; ita neque hæc propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, haberi poteſt propria. Cum enim vera ſit, neceſſum, vel propria, vel impropria ſit. Quod quidam ex viris egregiis inuſitatam vocent, eô non eximitur claſſi impropriarum propoſitionum: cum quidam ex ipſis fateantur, impropriam locutionem, vel eſſe uſitatam, vel inuſitatam: & conſequenter non poſſit conſtituere tertium prædicationum genus, diſtinctum ab illo, quod cenſetur eſſe vel proprium, vel improprium. Atque propriam eſſe (licet hoc nimis quàm fervide contendatur) non poteſt liquere ex exemplis adductis, cum aliena ſint, prout jam patuit: atque in illis pronomen *hoc* præſupponat pro duobus, nempe quòd vinum dolio, pecunia marſupio, & infans cunis impoſitus ſit. Ex nullo vero Textus ſacri indicio conſtare poteſt, per pronomen hoc, debere intelligi tum panem, tum corpus Chriſti. Fatemur quidem, per gratiarum actionem & benedictionem Domini, panem ex communi factum fuiſſe benedictum & ſanctum, hoc eſt, ſacramentum corporis Chriſti, at, localiter tum

corpus Chriſti pani, quem Chriſtus fregerat, fuiſſe unitum, mera eſt conjectura: atque viri docti, utut in omnes partes ſe vertant, & verborum pelves effundant, nunquam hactenus liquido probare potuerunt: nec probabunt in æternum. Denique ut redeamus ad Zuickerum, eum juvare non poteſt ſententia Orthodoxorū in explicanda formula Euchariſtica, *hoc eſt corpus meum*; in qua ita tropus admitti debet (quiſnam ille ſit, & quænam ipſius ſedes, hactenus non inquiro) ut pariter in hac locutione, *Chriſtus homo eſt Deus*, nullum omnino tropi veſtigium inveniatur: tantum abeſt, ut Deus improprius, ex mente Zuickeri cogitari debeat. Nec quoſdam Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, argumentantes à propoſitionibus circa Θεάνθρωπον uſurpari ſolitis, hominem Socinianum juvare poſſe, ex illis, quæ jam antea diſcuſſimus, abunde liquere confido. Adeo, ut fruſtra ſit inter alios Brochmannus, quando in loco de Cœna Dominica, qu. 4. *ita loquitur*: Veluti ergò in propoſitionibus, diſparatum enunciatur de diſparato ob unionem perſonalem: Ita in Sacramentalibus propoſitionibus res cœleſtis prædicatur de re terrena, ob unionem Sacramentalem, quæ in eo conſiſtit, quòd exhibita re terrena, una exhibeatur res cæleſtis. *Hac Brochmannus.* Neque enim par ratio eſt unionis perſonalis, quæ eſt à parte rei & independens ab intellectu, atque unionis ſacramentalis, quæ eſt no-

eſt notionalis, & indiget ſubſidio fidei, terrena cum cæleſtibus, & viſibilia cum inviſibilibus conjungentis.

Concluſio Diſſertationis de diſparatis.

Atque ita liquere ſufficienter jam credo, quàm ineptus ſit diſputator Zuickerus, quando argumentando quaſi à Diſparatis, Dominum Jeſum Chriſtum æterna & vera Deitate exuere laborat, relinquendo illi duntaxat Deitatem aliquam Metaphoricam, juxta quam, ut paſſim loquitur ſit quidem *Deus*; ſed *non ſummus*. Ne ipſe cum ſuo Crellio glorietur de inventione hujus Sophiſmatis, ecce Judæos, qui jam tempore Chriſti, eodem uſi fuerunt, quando Joh.10.35. ita proloquuntur & tacite argumentantur: *Ob bonum opus non lapidamus te, ſed ob blaſphemiam, id eſt, quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Quem locum ediſſerens Athanaſius in Epiſt contra omnes hæreſes, ſic loquitur *per interpretem*: Obmurmurarant Judæi, cur, homo cum ſis, facis te ipſum Deum? ſtulti, & animo occæcati, quippe oporteret eos invertere ſermonem in hunc modum; tu cum eſſes Deus, homo factus es; nam & opera Deum eſſe declarabant. *Hæc Athanaſius.* Judæorum idem argumentum quod Zuickeri: *Quicunque eſt homo, ille non eſt Deus*; Atqui, *Chriſtus eſt homo*; Ergo, *Chriſtus non eſt homo.* Zuickerus pro ſingulari

gulari ſua induſtria Majori amplius propoſitioni robur addidit ex Canone Logico : quòd ſcil. *diſparata de eodem ſubjecto dici non poſſint.* Simul juxta hoc principium, atque ut ſe præ Judæis in τρόπῳ τῆς παιδείας exercitatiorem oſtenderet pag. 90. hunc amplius Syllogiſmum procudit: *Quicunque Deus quidem dicitur, ita tamen, ut homo ſit: Denique ſupra ſe, dum Deus dicitur, habeat, quem & ſe majorem eſſe ipſemet expreſſe profiteatur,* &c. *De eo non neceſſario ſequitur, quòd Deus ſummus ſit. Ratio eſt in promptu, ut ante: quandoquidem ſummum eſſe Deum, ſummoque Deo ſubeſſe, aut eo minorem eſſe, contradictoria ſint.* Reſp. Hoc argumentum in quo tot propemodum ſunt vitia, quot voces occurrunt, nos nequaquam ferire poteſt. Nam, nos non inde inferimus Chriſtum eſſe ſummum æternum Deum, quod dicatur ſimpliciter Deus, ſed, quòd ſit *Deus ſupra omnes benedictus in ſecula*, Rom. 9. 5. cui cum attribuantur nomina uni Deo convenientia, & omnia eſſentialia Dei attributa, itemque opera uni Deo propria (quemadmodum ſupra vidimus) non poteſt non ſummus eſſe Deus, aut, ut Paulus loquitur ad Titum, cap. 2. verſ. 13. *magnus Deus*: non quidem relative aut comparative, ſed abſolute. Recte enim Homil. 5. in illam Epiſtolam Chryſoſtomus: *Magnus* (inquit) *de Deo cum dicitur, non relativè ad aliquid, ſed abſolutè omnino dicitur magnus, poſt quem magnus rite nemo dicitur: Non enim ad aliquid dicitur: quòd ſi ad ali-*

aliquid diceretur, per comparationem, non per naturam magnus eſſet: at nunc magnus incomparabiliter dicitur. 2. Argumentando à Diſparatis, (quæ ex ſenſu Logicorum, quos ſequitur Zuickerus, *non coëunt*) concludere deberet hanc propoſitionem ſimpliciter eſſe falſam: *Chriſtus homo eſt Deus.* Quando enim in locutionibus diſparatorum figuratis, vera agnoſcitur eſſe affirmatio, ceſſat pugna, nec amplius diſparata ſunt. 3. Oppoſitio cum debeat fieri ſecundum idem, fruſtra eſt Sophiſta, quòd oppoſitionem fingat inter hæc effata Scripturæ de Chriſto: *Ego & Pater unum ſumus.* Joh. 10. &, *Pater major me eſt*, Joh. 14. ſiquidem diſtinguendum eſt, inter Chriſtum exinanitum, *inferiorem angelis factum propter mortis perpeſſionem*, Heb. 2. 9. *cum ſcil. accepiſſet formam ſervi, factus hominibus ſimilis*, Phil. 2. 7. atque eundem, ut Deum æternum & conſtitutum *in forma Dei*, Phil. 2. 6. Quoniam in ipſo ſunt duæ diſtinctæ naturæ, ſe totis diverſæ; ratione earundem diverſa quoque de Chriſto prædicantur, ut conſiderato ſecundum aliam atque aliam naturam: quæ tamen in concreto verificantur de perſona Chriſti, quod eadem perſona inconfuſe & natura Divina (quam & habuit ab æterno) & natura humana, (quam in plenitudine temporis aſſumpſit) gaudeat. 4. Cur, ut modo annotavimus, non directe, Zuickerus, juxta Canonem Diſparatorum, infert Chriſtum hominem, non poſſe eſſe Deum?

&adeo

& adeo ſollicite ſibi cavet, ut neget tantum ſummum Deum eſſe. Qui aliquid duntaxat negat juxta caſum ſuperlativum, in caſu poſitivo affirmationem admittere videtur. Sed, quomodo Chriſto, qui expreſſe *magnus Deus* vocatur, & cui omnia & Dei attributa & opera tribuuntur, hæc ſuprema Deitas eô uſque eripi poteſt, ut, quando Deus vocatur, concipi debeat Deaſter aliquis, aut Deus minorum gentium? 5. Et quoniam nos, cum omnibus Orthodoxis, non tantum ex eo inferimus Chriſtum æternum & ſupremum Deum eſſe, quòd nomen Dei in Scriptura multoties ei tribuatur: ſed, quòd ſic nomen hoc ferat, ut pariter ei conveniant omnia Dei attributa & opera, patet argumentum noſtrum (ſupra illud propoſuimus diſtincte & vindicavimus) eſſe invicti roboris, Zuickerum vero graphicum nugatorem, aut potius ſophiſtam eſſe agnoſcendum, quod non auſus concludere, ut debuiſſet, juxta canonem de Diſparatis *Chriſtum non eſſe Deum*, inferat non eſſe ſummum Deum. Quòd vero ante annos LVIII. in Academia Marpurgenſi Celeberrimus Philoſophus Rudolphus Goclenius, ſpeciali Corollario naturam de Diſparatis ratione hypotheſios inter Orthodoxos & Zuickerum controverſæ, complexus fuerit, lubet illud ipſum hoc loco exhibere. Ita vero habet:

An Enunciatio: Deus eſt homo: ſit diſparata?

Nobilis ille Theologus, Martinus Lutherus in diſputatione Witenbergę habita anno 1529. 10. Januar. de propoſitione: *Verbum caro factum eſt*: hanc habet theſin: *Non minus, imo magis deſparata eſt prædicatio, Deus eſt homo, quàm, ſi dicas, Homo eſt aſinus*: Hanc theſin contra me producunt adverſarij. Ego autem iſtam theſin concedo, extra myſterium incarnationis, ſeu extra Chriſti perſonam, hoc eſt, ſpectando ordinem rerum: ita igitur falſa eſt, abſurda, impoſſibilis: (Scaliger in exerc. pag. 969. *Effatum impoſſibilitatis, quod habet modum impoſſibile, eſt: Nullus homo poteſt eſſe Deus.*) Abſolute enim & in genere loquendo, homo & Deus ſunt tum diſparata, tum plus quam genere differentia. (NB. *Hominem & Deum, extra Chriſtum, ut diſparata, cenſenda eſſe in abſtracto*) Sed in una Chriſti perſona ſpectantur homo & Deus, non ut diſparata, ſed ut partes, (*quomodo vox partis in hoc Myſterio intelligi debeat, antea inquiſivimus.*) ſeu conſtituentia certam unamque hypoſtaſin & totum quoddam, quod ſæpe ab altera ſui parte denominatur, id eſt, nomine alterutrius ex partibus, nunc nomine hominis, nunc nomine Dei exprimitur. Ita igitur eſt vera. Facit mecum Thomas Aquinas, quæſt. uni. verb. incarnat. art. 2. *Hoc*, inquit, *nomen homo univoce dicitur de Chriſto & Petro, quia utrobique ſignificat naturam humanam, compoſitam ex anima & corpore: ſed, in Chriſto ſupponit ſuppoſitum æternum, quod non*

ſupponit

ſupponit in Petro (qui nihil aliud eſt quam homo, in quo non eſt duorum unio hypoſtatica. Et ut D. Buſæus diſputat. 2. Apologetica contra D. Gerlach. his verbis: *Quæ, in inuſitatis hujus myſterij enunciationibus, diſparata de ſe mutuo enunciantur, ſecundum utriuſque ſuppoſitum, vocabulis concretis ſignificatum, enunciantur: ac proinde diſparata non ſunt, id eſt, nomine tantum, non re diſparata ſunt.*) Hactenus *Dn. Goclenius.*

DIATRIBA SEXTA.

De Petitione Principij.

UT ſuperiori Diatriba in Zuickeri gratiam debuimus deflectere ad Lutheranos; ita, liquere jam confido nullum præſidium in poſterum ipſi reliquum fore, in eorum ab Orthodoxis diſſenſione, cujus pro dolor! circa interpretationem formulę Euchariſticæ nimis quàm pertinaces ſunt. Cæterum, cum noſter homo quaque pagina, quando ſcil. hæret, & ſe expedire non poteſt, Orthodoxis objicere conſueverit, quòd petant principium: & petitio principii referatur ab Ariſtotele ad Locos fallaciarum: Deſpiciendum primo eſt, quid ſit petitio Principii: & deinde quàm perulanter, novus Sophiſta Zuickerus loco hoc Sophiſtico

abutatur. Ergo, *petitio principij eſt locus idoneus, ad decipiendum ex eo, quod concluſio probanda ad probationem ſuimetipſius accipitur*: dicitur autem concluſio *principium*, quia initio proponitur, ut ad eam probatio dirigatur, *Fonſec. l.* 1. *Dial. cap.* 13. Cauſa apparentiæ eſt, quia putat *per quod quid poteſt illuſtrari, per idem etiam poſſe probari.* Argumenta autem ejuſmodi repræhenduntur, non quia falſa ſunt, ſed quia fallacia: ſi enim voces ſpectes, nihil earum nexu verius, ſi animum ejus, quicum diſputas, nihil eo fallacius, vult enim hac ratione magis te confundere. Quô vero hujus fallaciæ natura propius cognoſcatur, quid antiqui quoque Philoſophi, incipiendo ab Ariſtotele, de illa ſtatuerint, expendemus in anteceſſum. De hac vero fallacia, quæ ordinario non à reſpondente, ſed ab interrogante, ſeu opponente (niſi forte reſpondens arroget ſibi partes opponentis) ut omnes Logici unanimiter fatentur, committitur, agit Ariſtoteles, præterquam in libello de Elenchis, lib. 2. Prior. Analyt. cap. 15. & lib. 8. Top. cap. 4. tex. 56. quo poſtremo textu, ut modos varios propoſuit, ita interpretem Philoſophi, doctiſſimum Schegkium ſcil. (quòd à paucis hodie vel inſpici conſueverit) lubet adducere. *Qui ita ad hunc locum commentatur*: Sunt autem quinque modi. *Primus* eſt, ſi ipſum ſe ipſo probetur manifeſta repetitione. Veluti permutatione ſynonymorum, aut, ſi loco nominis uſurpe-

uſurpetur ipſius nominis definitio, paulò occultior erit petitio. Ut ſi probetur, Humanitas Chriſti eſt ubiq;. Humanitas Chriſti eſt immenſa, Ergo eſt ubique. Immenſum definimus per ubiquitatem. Synonymum ejus quod ubique dicitur, eſt nullo planè loco contineri. Hoc aſſumpto, ſimilis erit probatio. *Alter* modus eſt, ſi probanda ſit particularis, & ejus univerſalis pro argumento uſurpetur. Ut, ſi probetur, quòd quidam electus ſalvus fiat, quia ſcilicet omnis electus ſalvus fiat, quandoquidem quidam electus ſit etiam electus. Anticipatur in univerſali probatio concluſionis, cùm particularis univerſali contineatur. *Tertius* eſt modus, ſi probandum univerſale, per quædam, ſub ipſo contenta, probetur. Ut, ſi probandum ſit, quòd omnes electi ſalventur. Hoc argumento, Omnes qui permanſerint in fide Chriſti, ſalvantur. Omnes electi permanent in fide Chriſti. Ergo omnes electi ſalvantur. Ex electis omnibus quidam ſunt, qui fide Chriſti imbuuntur. Sunt etiam baptizati infantes electi, qui tamen hac cognitione Fidei non ſunt eruditi. Particularis probans, continetur in univerſali probando. Ut ſi probetur, Nullum illegitimum pactum ſervandum eſſe, Nihil contra bonos mores promiſſum eſt ſervandum. Omne illegitimum pactum eſt contra mores bonos. Ergo nullum illegitimum pactum ſervandum. Contra bonos mores pactum, continetur ut par-

ticularis concluſio ſub univerſali. Nam ſunt etiam pacta alia illegitima, ut quæ pactus aliquis eſt ignorans, aut coactus. Ergo, propter ignorantiam partium univerſalis, petitur aliquando principium. *Quartus* modus eſt, ſi propoſitum probandum dividuum ſit, &, quòd utriuſque ſit partis, ſeparatim probetur. Ut quòd Medicina ſit ſcientia ſalubris, & quòd non ſit etiam ſcientia, ſi quidem non compoſite probetur, quòd una ſcintia ſit utriuſque: ſunt autem hoc modo duæ probationes unius, quibus viciſſim probetur propoſitum, ut unum non ſit cauſa alterius. *Quintus* modus eſt, quando neceſſariis & reciprocis conſequentibus probatur quippiam, ut διάμετρον eſſe ἀσύμμετρον lateri, ſi probetur per hanc, quòd latus ſit ἀσύμμετρον διαμέτρῳ. Ex neceſſitate enim unum alterius conſequens eſt. Cujuſmodi ſunt ἀντικατηγορούμενα. Ut ſi probetur, quòd trianguli major ſit angulus, quia major ſit ſubtenſa linea. Et viciſſim quòd ſubtenſa linea ſit major, quia ſubjectus ei angulus ſit major. Hoc modo etiam, ipſum aliquando ſe ipſo probatur quippiam. Nam ἀντικατηγορούμενα ex neceſſitate ſe mutuo conſequuntur, non tamen mutuò ſeſe probant aut demonſtrant. *Hactenus doctiſſimus Schegkius.* Non tamen hæc omnibus æque placent. Keckermannus lib. 3. Syſtem. Log. cap. 2. circa hos quinque modos aliquid obſervat, quod non fuerit ex re hic annotaſſe. *Ita vero loquitur:* Verùm enim

vero

vero (*inquit*) nimis rigidum fuerit, omnes hos probandi modos, referri ſimpliciter ad petitionem principii, cùm modus ſecundus ſit ex loco definitionis; tertius, ex loco generis; quartus, ſit nuda inductio, denique ſextus ſit ex loco relatorum: ſolus autem primus & quintus veram petitionen principii habeant, atque, quòd ad reliquos modos attinet, non ita rigidè interpretandus eſt Ariſtot. quaſi eos ſimpliciter referat ad petitionem principii; ſed, quòd dicat apud obſtinatum & tergiverſantem adverſarium iſta habere ſpeciem petitionis principii; atque ita eſſe petitiones principii non per ſe, ſeu κατὰ πρᾶγμα, ſed πρὸς ἄνθρωπον, ſeu, ad hominem. *Hæc Keckermannus*, quæ hactenus non diſplicent. Lambertus Danæus Theologus eruditus & Orthodoxus in egregio libello de Fallacijs, Differentias huic fallaciarum loco accidentes, tali Schematiſmo adumbrat:

Vel

- *Id ipſum eſt de quo agebatur, quod tamen ſumitur: vel*
  - *Iiſdem omnino*
  - *Mutatis verbis*
- *Aliud & diverſum nempe vel*
  - *Verbi tantum, re tamen idem: id quod ſit ſi petitur, vel*
    - *Æquipollens rei, de qua agitur:*
    - *Totum ejus rei, concedi, cujus res propoſita & controverſa pars eſt.*
  - *Re & verbis aliud & diverſum. Sed tamen id petitur concedi, quod eſt, vel*
    - *1. obſcurum*
      - *Æquè,*
      - *Plus quam quæſtio ipſa.*
    - *2. Incertum.*
      - *Æquè,*
      - *Plus quam quæſtio ipſa.*
    - *3. Poſterius natura.*

Antequam hæc examino circa Zuickerum, ex re quoque fuerit, exhibere illa, quæ de hac fallacia commentatus eſt Franciſcus Hallier, Doctor Sorbonicus & Logicus accuratiſſimus. *Sequentia vero pag. 262. Dial. habet*: Fallacia petitionis principii eſt, quę ex petitione principii oritur, ideoque, tot fere modis accidit, quot fieri poteſt petitio principii. Petitio autem principii bifariam contingit: Primo, cum id quod in quæ-

quæſtione verſatur quæritur, ſive, ſub iiſdem, ſive ſub diverſis terminis: ſive, eodem ſtatu quæſtionis manente, ſive variato ſtatu quæſtionis, ut, ſi loco quæſtionis univerſalis particularis quæratur, vel ècontra: ſive tandem res ipſa quæratur, ſive quod ex ea neceſſario & evidenter ſequitur, ut ex homine animal: Secundò, cum loco quæſtionis, quæ in controverſiam adducta eſt, aliquid de ejus oppoſito quæritur, ſive ſit oppoſitum relativum, ſive contrarium, ſive contradictorium, ſive privativum. Hæc autem petitio principii moleſtiam ſæpe reſpondenti faceſſit, cui vel idem identidem inculcatur cum faſtidio, vel æque ignotum profertur ad probationem ſine fructu: rarò autem in falſitatem & errorē eum inducit, ut ſatis patet, quamvis tamen aliquando inducat, ut vel uno vel altero exemplo patefaciemus: ſit v. gr. aliquis qui neget lapidem videre, rogabit Sophiſta; num lapis ſit cæcus: ubi reſponſum fuerit minimè eum cæcum eſſe, inferet ex fallacia petitionis pincipii, lapidem ergo videre, ſicut hominem videre neceſſum eſt, qui cæcus non eſt: hoc fere pacto.

Lapis, qui non eſt cæcus, videt:
Sed ex reſponſis lapis non eſt cæcus:
Ergo lapis videt.

Item, ſi in controverſiam veniat utrum hæc propoſitio, *Omnis homo eſt juſtus*, falſa ſit, videaturque Reſpondenti falſam eſſe, quia ali-

quis homo reperiri poteſt non juſtus: Sophiſta eam alia ratione falſam interpretabitur, ac ſi univerſaliter verum eſſet, nullum hominem eſſe juſtum: & ita arguet:

Omnis homo non eſt juſtus:

(Prętendit, hoc ipſum eſſe, quod reſponſum eſt.)

Atqui Ariſtides eſt homo:

Ergo Ariſtides non eſt juſtus.

Hactenus quoque *Hallierius.* Hæc, ex aliis auctoribus, propriis ipſorum verbis hactenus adducta, varie explicari & interpolari poſſent: at haut neceſſum eſt. Zuickerus, quòd jam olim, tyrocinio Academico intentus, didiciſſet probroſum eſſe, ſi arguens in Diſputatione publica, convincatur petere principium: paſſim, ubi hæret, atque latere tecto diſcedere non poteſt, proclamat ab adverſariis ſuis peti principium. Et, quaſi hoc dixiſſe ſufficiat; nihil ulterius ſuperaddit, etiam quando rite & legitime diſtinctum fuerit à ſuis adverſariis. Inde in ipſo veſtibulo ſacerrimi Irenici, ubi ſibi exhibet Opponentem, & Reſpondentem: Ipſe nomine omnium hoſtium æternæ Deitatis Dn. Jeſu Chriſti, contra Orthodoxos ita opponit: *Quicunque eſt homo, patitur, moritur, reſurgit, &c. is non eſt ſummus Deus. Atqui Chriſtus eſt homo,* &c. *Ergo.* cumque Orthodoxorum aliquem ſupponat reſpondere: Diſtinguo inter humanam & divinam naturam, & concedo argumentum, ſi de humana accipiatur. *Adverſus*

verſus illa tanquam [illegible] *pponens ita dein inſurgit*: Petitur principium. Nam ſupponitur hic divina in Chriſto natura, de qua tamen nunc quæſtio eſt: quæque propterea prius probari debuiſſet, antequam adferri contra me potuiſſet. Et præterea Major meâ firma eſt per regulam de disparatis. Nam duo Diſparata, de eodem dici ſubjecto, impoſſibile eſt. *Hactenus* quiden Zuickerus tanquam Opponens. Sed, quàm inauſpicatò confugiat ad ſacram ſuam auchoram petitionis principii, diſcat ex Keſlero in Logica Photiniana p. 271. ubi hoc accurate expoſuit. *Ita ergo ille*: Præcognoſcendum eſt, quæ ſit reſpondentis ac reſponſionis, ipſiuſque adeo diſputationis, de qua principium loquitur, ratio. Ponitur primo theſis, qua reſpondens duo diſtincta attributa de eodem ſubjecto enuntiat, & eorum utrumque ipſi ineſſe, certis fundamentis nixus, aſſerit, adverſarius utrumque ineſſe negat, alterum tamen concedens. Opponit ergo argumentum; ſeu ſyllogiſmum, cujus medius terminus cum altero attributorum membro, quod ipſo ſubjecto ineſſe affirmat, alteri vero, quod ineſſe negat, repugnat. Reſpondens diſtinguit inter duo attributa, dicitque argumentum non ſimpliciter & abſolute de ſubjecto eſſe intelligendum, ſed reſpectu illius attributi, cum quo conſentit; Hic ergo quæritur utrum Reſpondens hoc modo diſputans principium petat, utrum contra leges diſ-

ges diſputandi cauſam ſuam agat, utrum turpiter ſtet in arena. Affirmant Photiniani. Contra hanc ergò aſſertionem dicendum arbitror, illum reſpondendi modum & rationi convenientem eſſe,& in dicto caſu neceſſarium,& in foro diſputatorio uſitatum. 1. Conveniens eſt hic reſpondendi modus rationi. Nam, hoc in caſu, Reſpondens primò in theſi ſua,veritatem duorũ attributorum pręſupponit indubiam & jam probatam.Quando igitur adverſarius argumentatur pro negatione unius attributi, afferens de ſubjecto id,quod cum natura illius attributi non conſentit,conſentit vero natura alterius, jure ſuo utitur Reſpondens, concedendo argumentum de ſubjecto ſecundum alterũ partẽ conſiderato,negando vero reſpectu alterius; & ad rei naturam accommodatè diſputat,ſi principiũ,propoſitionem nempe majorẽ, limitat ad ſubjectum taliter conſideratum. Quod ſi hic Opponens legitime procedere velit: oportet, ut demonſtret, 1. majorem ſimpliciter ſine addita limitatione veram eſſe. 2. minorem quoque ita ſe habere, ut prædicatum ſubjecto conveniat abſolutè, non reſpectu certæ partis. Exemplo res erit illuſtrior. detur ſubjectum, verbi gratia, poculum aureum plenum vino. De toto hoc complexo dico quod ſit metallum, dico etiam, quod ſit liquor: Hæc res eſt metallum, & hoc eſt liquor. Quam theſim, tanquam certam & indubiam præſupponenti mihi, ſi opponas ſyllogiſmum:

mum: Quod in terra frugifera ex planta eſt productum, illud non poteſt eſſe metallum. Hoc eſt ex planta productum, Ergo nequit eſſe metallum. Si, inquam, hunc mihi opponas ſyllogiſmum, certè non inepte & indecenter reſpondebo, id quod ex planta productum eſt, quatenus tale, vel ſecundum eam naturam, ſecundum quam eſt ex planta productum, non poſſe eſſe metallum, hoc verò vel hanc rem eſſe ex planta productam, in quantum eſt liquor, non verò ex omni parte abſolute & ſimpliciter. Si regeras, eſſe petitionem principii, dicam non meum ſed tuum eſſe abſolutam veritatem præmiſſarum probare, ſi limitationem meam rejicias, & abſolutum ſenſum urgeas, ſiquidem Opponenti affirmanti probatio incumbit, me vero ex theſi mea reſpondere, & urgere duas in hoc complexo eſſe naturas, metallum & liquorem. Sin quias, nihilominus hoc modo peti principium: quandoquidem afferatur id, quod eſt in quæſtione. Reſpondeo, quidni principium petere dicatur Reſpondens, & male diſputare, dum theſin ſuam ponit, quam utique adverſarius itidem concedit, & quæ in controverſia eſt. At enim hoc falſum foret, quoniam aliud Opponens, aliud Reſpondens, qui ut Opponentis argumenta contra theſin directa excipit, eandem proponit. Principium tum peti dicitur, cum concluſio probanda ad ſui probatio-

nem

nem accipitur, ut Fonſeca docet lib. 8. inſtit. cap. 13. Pertinet igitur non ad Opponentem, ſed reſpondentem proprie ac ſpeciatim ſumptum, ut talem. *Hæc Keſlerus*: quibus nihil ſuperaddo, quod omnia diſtincte & ſolide enodarit. *Secundo* Zuickerus æque abſurdus eſt in fingenda petitione principii, quando adverſarii ſui argumentum aut non intelligit, aut intelligere non vult, aut ſaltem de illo dubitat. Inde in confirmatione Irenici ſui pag. 66. hac oratione Rev. D. Comenium inceſſit: *Videſne demum* (inquit) *te ipſum quoque nunc eatenus victum & conſtrictum eſſe, ut, quotieſcunque diſtinctione tua duarum naturarum, ceu ex ſcripturis præſuppoſitâ quidem, at nondum recte unquam probata, adeoque dubia adhuc, uteris, uſuſque fueris, toties principij petitionis reus ſis? Nam, ſive te ex Scriptura diſtinguere dicas, ſive ex Theſi, prout Calovius loquitur, res tamen eodem recidit, cum uterque veſtrum diſtinctionem adferat, ex Scripturâ tantum præſuppoſitam, nunquam verò adhuc probatam.* At ſi hoc ſit petere priucipium, nullius argumento unquam aliquid tribuendum venerit, modò is, contra quem hoc adducitur, ſuæ ſententiæ fuerit pertinax: prætexendo enim ſibi illud dubium eſſe, nec vim ejuſdem perſpicere, eludere poterit. Simul vicerint Sceptici, & Semi-Sceptici omnes, imo quotquot unquam fuerint hæretici, & errones. At, cum Accii debeat eſſe idem jus quod Titii, ipſe

quoq;

quoque Zuickerus cum tota Socinianorum pullicie, modo dicantur principium petere, de gradu dejicientur, omniaque ipſorum argumenta in fumum abibunt. Quamquam cæteroquin principium petunt, committendo ſimul contradictionem in adjecto, & ſupponentes, ſuo more, hoc eſt, ſophiſtice; dum inferunt Chriſtum quidem eſſe Deum, & Deum verum, non tamen ſummum Deum, aut æque Deum, atque Deum Patrem. *Tertio*, geminum præcedenti, ſed ex mente ſcil. Zuickeri, *peti cenſetur principium*, ſi quando ſive diſtinctionem ſive argumentum non admittat ille, qui eo ſe premi ſentit. Inde ſic inſurgit contra *ſuum adverſarium pag.* 34. Legeras (*inquit*) ſpecimina mea contra Calovium. In illis ergo pag. 14. Calovii verba allegantur, in quibus ille, allata *nuda* diſtinctione inter eſſentiam & perſonam, aut, inter naturã humanam & divinam, aliquâq; re ſimili, etiamſi ab Opponente nondũ receptâ, imo negatâ, bene à Reſpondente ad argumentũ Opponentis reſponderi aiebat, *eâque principium peti negabat, eò quod iſta diſtinctio in Theſi Reſpondentis contineatur, firmaque eouſque habeatur, donec ipſa Theſis evertatur, falſitatiſque convincatur.* En ipſa Calovii, verba! En itaque talibus Reſpondentibus, quales omnes mei Antagoniſtæ fuerunt, quique diſtinctionem ſuam jam ſatis probatam & firmam dicebant nudeque tantum ad argumentum Opponentis adſerebant, *neque*

eam

eam ulterius probare volebant, hic dictum eſt ab Opponente, eos diſtinctione ſuâ principium tantum petere: quandoquidem ea nondum probata fuerit; etiamſi illi Reſpondentes, eam firmam eſſe ſibi perſuaſerint, ſed eandem prius rectè adhuc probari debuiſſe. Sentiſne ergo jam, quare taliter diſtinguentes principium petere dicantur? nimirum, *quia diſtinctionem ſuam ulterius probare nolebant?* At papæ! Ergo veritas æſtimanda fuerit à parte mentis concipientis, quę in multis, qui ſuo modo concipiunt, ſępe admodum vacillat. Quid abſurdius verò, quam conceptum unius hominis, ſæpe adverſus veritatem obfirmati, ſæpe quoque, juſto Dei judicio uſq; adeo excæcati, ut verum à falſo diſcernere non poſſit, ſtatuere regulam veri? Ipſis tironibus Metaphyſicis notum eſt, quod ratione habita rerum naturalium, non conformatur res ad intellectum, ſed intellectus ad ipſam rem: neque habet ſuum Eſſe res ab intellectu, ſed intellectus ſive ſpecies intelligibilis Eſſe ſuum habet à re: neque eſt menſura rei intellectus, ſed contra res eſt menſura ipſius intellectus. Veritatis norma certa atque immutabilis eſſe debet. Eoque accuratiores Philoſophi veritatem rerum vocarunt conformationem ipſarum rerum cum intellectu divino, hoc eſt cum rationibus formalibus, quæ ſunt in mente divina, pro voluntate ipſius Dei. Nam veritas cujuſque rei eſt conformitas cum

propria

propria & prima ipſius menſura. At eæ tantum rationes formales rerum, quæ exiſtunt in mente divina, ſunt propriæ & primæ menſuræ rerum omnium. Si hoc modo committatur petitio principii, atque ab apprehenſione alicujus hominis (ſæpe deliri & ἀῤῥωςίᾳ τῆς διανοίας laborantis) judicium veritatis dependeat, actum jam fuerit de auctoritate ipſius Scripturæ ſacræ. Præterquam enim quòd Atheis perſuaſum eſt, illi haut quaquam veritatem infallibilem, & auctoritatem Divinam deferendam eſſe, quod hoc ratio, qua gaudent, ſuadere non poſſit: amplius vicerint Pontificij, ab Atheis haut longe remoti, ſibi perſuadentes, Auctoritatem Scripturæ eſſe ſuſpendendam ab auctoritate Eccleſiæ, licet ipſi vix dicere queant, quidnam per Eccleſiam intelligant. Quibus, ut jam olim occurrit Thomas Aquinas, in ipſo Summæ Veſtibulo nempe 1. quæſt. 1. art. 8. ita lubet ipſius verba, quod erudiendo quoque Zuickero ſerviant, exhibere: *Dicendum (inquit) quod ſicut aliæ ſcientiæ non argumentantur ad ſua principia probanda, ſed ex principiis argumentantur ad oſtendendum alia in ipſis ſcientiis: ita hæc doctrina non argumentatur ad ſua principia probanda, quæ ſunt articuli fidei: ſed ex iis procedit, ad aliquid aliud probandum, ſicut Apoſtolus primæ ad Corinthios 15. ex reſurrectione Chriſti argumentatur ad reſurrectionem communem probandam. Sed tamen conſiderandum eſt in ſcientiis philoſophicis, &c. Vnde ſacra doctrina, cum*

non habeat ſuperiorem, diſputat contra negantem ſua principia, argumentando quidem, ſi adverſarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur: ſicut per authoritates ſacræ Scripturæ diſputamus contra hæreticos: & per unum articulum, contra negantes alium. Si verò adverſarius nihil credat eorum, quæ divinitus revelantur: non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, ſed ad ſolvendum rationes, ſi quas inducit contra fidem. Hæc apprime quadrant in Zuickerum & ſimiles veritatis, apud omnes Chriſtianos indubitô hactenus admiſſæ, hoſtes. Negant ſiquidem duas naturas dari in Chriſto, qui unus ſolummodo ſecundum perſonam agnoſcendus eſt: nec volunt has naturas diſtingui, pertinaciter contendentes talem diſtinctionem hactenus è Scriptura liquere non poſſe, licet Apoſtolus expreſſe dicat Rom. 1. verſ. 2. & ſeqq. *Euangelium Dei de filio ſuo, (facto ex ſemine Davidis, ſecundum carnem: declarato Filio Dei potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis, per reſurrectionem ex mortuis) nempe Ieſu Chriſto Domino noſtro.* Cui illuſtri teſtimonio, aliiſque amplius quam ſexcentis Scripturæ Textibus, cum homines hi refragentur, nihildum auctoritatis iis deferendo, quis illos non habeat pro hoſtibus Scripturæ, licet cæteroquin eam crepent, &, ſi quando favere videtur, magnificis elogiis extollant? Simul hinc *quintò* liquet, graviter falli Zuickerum, quando contendit, peti principium, ſi aliquid ſine probatione

bationе affirmetur. Hinc talis illius λόγος pag. 48. Confirm. Irenici: *Itane vero* (more ſolito orationem dirigit ad Dn. Comenium) *Sociniani de veris myſteriis Fidei non amant loqui verbis, quæ Spiritus Sanctus docet, ſed, quæ Philoſophia docet? etiamſi quoque iidem* Logicas *regulas methodumque diſputandi obſervent, voſque, ut eandem conſtanter obſerveis, moneant? Quomodo verò hæc de illis probas? cum ſcias, eum, qui aliquid ſine probatione affirmat, principium petere, & ſi res quoque mala ſit, quam iſte ſine probatione de altero affirmat, calumniam facere?* Quod emblema ut utramque apud ipſum paginam facit, ita pag. 351. ſuum] adverſarium ſic: *iterum inceſſit*: Quod ſine ulla probatione addis, ac ſi veteres ſecundum tuam fidem, (quam fruſtra nunc Catholicam dicis, cum & hoc ipſum ſimiliter adhuc à te probari debeat) crediderint, Sermonem, quatenus in Deo adhuc exiſtebat, non noſtro Verbo aut Rationi ſimilem fuiſſe, ſed realem exiſtentiam habuiſſe; in eo ſtrenue tantum principium petis. *Hæc quoque Zuickerus.* Quaſi verò non occurrant primæ veritates, & generalia, ſeu primo prima axiomata, per ſe nota, & à nullo in dubium vocari ſolita, ſimul ac terminos modo intellexerit, quæ neque, quod natura nota ſint, & nobiſcum quaſi nata, à priori demonſtrantur, quamvis eorundem veritas non inconvenienter à poſteriori colligi

 queat.

queat. Petitio principii, eſt vitium (quemadmodum ego ſemper credidi) Syllogiſmo Topico ratione materiæ accidens. Ipſa quæſtio, quæ in Syllogiſmo fit Concluſio, cum conſtet majori & minori extremo, actu in præmiſſis continetur; quæ, cum amplius medium terminum, velut extremorum menſuram contineant; virtute medii termini in concluſione extremorum unionem & connexionem procurant. Atque hæ præmiſſæ ad ſummum duntaxat vocari poſſunt Concluſionis cauſſa moralis, quatenus medium utrique extremo in præmiſſis applicatum, mentem determinat, applicat, & movet ad aſſenſum concluſionis. Syllogiſmus Demonſtrativus cum gaudeat tam neceſſitate conſequentiæ, quàm conſequentis; ex præmiſſis non modo infert concluſionem neceſſariò veram, ſed tales quoque ſunt præmiſſæ, ſeorſum, extra Syllogiſmum, ad modum Enunciationum, aut, ut Ramus loqui amat, Axiomatum conſideratæ. Si tiro Logicus ita ineptiret, circa doctrinam de petitione principii, venia concedi poſſet; cujus nullus equidem ſpem fecerit Zuickero, homini, circa ignorantiam, ſibi uſque adeo placenti, ut veteranis quoque Theologis & Philoſophis barbam vellere auſit. *Sextò* novus & ambitioſus noſter Dialecticus principium peti contendit, quotieſcunque obſcurum per æque obſcurum probatur. Inde in Confirm. Irenici pag. 43. *ita alloquitur*

loquitur ſuum adverſarium: Videſne, Comeni, quam nihil prorſus probaveris? & quomodo, ſi locutiones etiam tuas, è Scripturis allatas, aliter atque jam oſtenſum eſt, intellectas velis, ſtrenuè tantum principium petas? Nam obſcurum per æque obſcurum probaſti? quandoquidem & antiquiſſimi Chriſtiani omnes illas tuas locutiones è Scripturis acceptaverint, & nunquam tamen exinde collegerint & concluſerint, concludereque potuerint, Chriſtum propterea ſtatim æternum Deum eſſe? *Hactenus* eo loco Zuickerus, qui iterum pag. 298. *ſic proloquitur*: Et, an non te puduit, Comeni, tam puerilis & craſſæ principij petitionis? ubi probaturus, me Chriſtum in carne veniſſe negare, ita argumentaris: Quicunque negat, Chriſtum antequam carnem indueret extitiſſe, is negat Chriſtum in carne veniſſe? An enim ignorabas, conſequentiam hanc apud me tàm eſſe falſam, quam illud ipſum eſt, quod probare volebas? teque non adeò, obſcurum aut falſum hac ratione probando, id tantum quod in principio erat, petere? *Hac iterum.* Obſcurum aliquid eſt vel objective, vel ſubjective. Illo modo iterum bifariam: Vel quod conveniens proportio non intercedat inter mentem finitam, & illas ipſas res, quæ illi cognoſcendæ proponuntur, quales vulgo in ipſa quoque Scriptura, voce tranſlata à ſacris Eleuſiniis, vocantur *μυςήεια*, ab Apoſtolo Petro δυσνόητα. 2. Petr. 3. 16. ad

3. 16. ad qualium perceptionem opus eſt *illuminatis oculis mentis*, juxta Apoſtolum Eph. 1. 18. qui contingunt per Spiritum Sanctum, unde idem Apoſtolus dicit 1. Cor. 2. 10. *Nobis ea Deus retexit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* Deinde, aliquid obiectivè obſcurum eſt ex accidenti, ſeu ratione modi, juxta quem proponitur. Unde obſcuram orationem dicimus, vel obſcurum ſermonem, qui ænigma dicitur. Eſt enim ænigma, quæſtio verborum obſcuritate involuta, ſecundum Thom. II. ſentent. diſt. XXIII. qu. II. artic. I. Subjective aliquid eſt obſcurum ratione mentis non bene diſpoſitæ ad cognoſcenda illa, quæ ipſi objiciuntur. Quod notari poteſt non modo in illis, qui ἀῤῥωσίᾳ τῆς διανοίας laborant; verum in omnibus naturalibus hominibus, ratione rerum ſpiritualium, quibus applicari poteſt illud Apoſtoli 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt Spiritus Dei. ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.* Zuickerus ergo & Sociniani omnes, crepantes peti principium, & contendentes obſcurum per æque obſcurum probari, (quòd ſecuri totius Chriſtianiſmi per ſua duntaxat ſuffragia decidi cupiunt) oſtendunt ſe deſtitui lumine Spiritus Sancti, nec, ad Scripturæ lectionem tales mentis oculos adferre, quos in Electis & vere fidelibus ab Apoſtolo agnoſci, jam antea oſtendimus. Concinne Boëthius

Boëthius lib.4.de Conſol.Philoſ.Proſa 4.de talibus: *Nequeunt oculos, tenebris aſſuetos, ad lucem perſpicuæ veritatis attollere, ſimileſq́; avibus ſunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat.* Atque utinam ad illos non pertineret, quod dicit Paulus 2. Cor. 4. verſ. 3. 4. *Quòd ſi opertum eſt Euangeliũ noſtrum, iis, qui pereunt, opertum eſt: in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos illuſtratio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Certe pertinent *ad illos indoctos parumque ſtabiles, qui* (jam ætate Apoſtoli Petri) *& illa quæ ſunt difficilia intellectu, & Scripturas reliquas, ſuo ipſorum exitio, detorquebant*, 2. Petr. 3. 16. Omnem vero abſurditatem excedit Zuickeri quaſi petitio principii, quando illam contendit committi, ſi probetur Chriſtum eſſe ſummum Deum, ex eo, quòd ipſi conveniat æternitas. Quod tamen homo, verè ἄλογος, in hoc diſcurſu, quaſi Logico, ſibi admodum placeat, integre illum exhibebimus, prout occurrit in Confirmatione Irenici, pag. 113. & ſeq. *atque ita habet*: Quæſtio erat: *utrum Chriſtus*, quem omnes hominem eſſe fatemur, ſimul divinam ſummi Dei naturam haberet, *æternusque cum Patre eſſet, nec ne?* Prius verò, quod tanquam abſurdum à me rejiciebatur, tu nunc cum aliis probare conabaris per id, quod Chriſtus Deus diceretur. Et cum vobis reſponſum ſit, Chriſtum quidem Deum dici, ſed ita tamen, ut ſimul Deum ſupra ſe adhuc habere dicatur; unde neceſſario ſequatur, Chriſtum

divinam ſummi Dei naturam habere; ſummumque & æternum Deum eſſe, nequaquam poſſe; adeoque Scripturam veſtræ abſurditati minime patrocinari. Tu jam, ut aliquid tamen reſpondeas, novam abſurditatem confingis, Patremque *priorem* quidem *filio* eſſe concedis *origine, non tempore*? Et, ſi porro quæratur, undè hanc tuam diſtinctionem probes? (cum abſurdum ſit, aliquid dicere prius, quod tempore ſeu duratione prius non ſit; illud quoque, quod tempore prius non eſt, ſed, ut tu dicis, origine, falſiſſime prius eſſe dicatur? multoque verius & rectius, ſimul tantum eſſe, dici debeat?) reſpondes iterum: *Æterno Patri æternum coëxiſtere filium*? En circulum pudendum & turpem, in quo hic oberras, miſerrime diſputator! Nam quid, quæſò, nunc toto tuo molimine effeciſti & probaſti? niſi id tantum, quod ipſiſſima erat quæſtio, reſponſionis & probationis locò adferendo? *Chriſtumque æternum eſſe dicendum, eò quod æternus ſit?* Annon verò te nunc inſulſæ indoctiſſimæque hujus tuæ probationis, quam maximè pudeat? Annon, te victum dabis, & infirmitatem aut falſitatem tuæ diſtinctionis publicè fateberis? Perinde enim tu nunc argumentatus, victuſque es, acſi Anthropomorphita, Deum eſſe hominem ſtatuens, humanamque naturam de Deo probaturus, diceret, Deo paſſim in Scripturis humana membra tribui, & ſi ei reſponderetur: Deo
quidem

quidem in Scripturâ humana membra tribui, eundem tamen expreſsè Spiritum appellari; qui Spiritus, docente Chriſto, carnem & oſſa, humanamque adeò formam, non habeat; is demum ineptiſſime tantum ita regereret: Deum quidem ſpiritum expreſſe dici, eundem tamen nihilominus hominem eſſe, humanaque membra habere? adeoque tantum principium peteret? Nam quemadmodum tu Anthropomorphitam hunc victum cenſeres, conſtrictumque teneres, ita ego te jam conſtrictum teneo, nec dimitto, antequam victum fatearis. *Hactenus Zuickerus. Reſp. Primo.* ut jam antea notatum fuit, iterum aliquid Orthodoxis affingit, quòd ipſi ſimpliciter non agnoſcunt: quanquam enim validè exiſtimant evinci, Chriſtum æternum Deum eſſe, quod Dei eſſentiale nomen ferat, efficacius tamen idem demonſtrari opinantur ex eo, quòd omnia & ſingula Dei Attributa, quæ ſunt ipſe Deus, eidem attribuuntur. Quæ Attributa, cum ratione Dei agnoſci debeant propria Eſſentialia, quæ ſic οὐσιωδῶς Deo conveniunt, ut ſimul ipſe Deus ſint; per Demonſtrationem τοῦ ὅτι, ſive, à Poſteriori, non minus certò inferri poteſt, Chriſtum eſſe verum & æternum Deum; quam infertur, omnem hominem eſſe rationalem, eô quòd ſit riſibilis. Fateor quidem, præmiſſas in tali Demonſtratione non continere *cauſſam rei*, habent tamen *cauſſam cognitionis*, in quantum ſcil. infallibiliter ex

ter ex adjunctis, ſive attributis Eſſentialibus, infertur ſive ſubjectum, ſive eſſentia. Eoque *ſecundo*, putidę ignorantię arguendus eſt *Zuickerus*, quando talem Demonſtrationem, quæ procedit à notioribus nobis, deputat eſſe *Petitionem principij*. Gravius fallitur, quando cenſet eſſe argumentationem Circularem, ſive Circulum Syllogiſticum. Si, à limine modò Dialecticam ſalutaſſet, &c, vel unum Ariſtotelis interpretem legiſſet, ignorare non poſſet: Circulum, ſeu Circularem argumentationem poſſe conſiderari vel ratione formæ Syllogiſticæ, vel ratione materiæ, nec omnem ejuſmodi argumentationem vitioſam eſſe. Circulus qui ratione formæ accidit, cenſetur talis progreſſus argumentativus, quando, ordinato jam Syllogiſmo, concluſionem accipimus ut propoſitionem, & ei adjecta altera propoſitione ſimpliciter converſa, concludimus ex duabus illis reliquam propoſitionem. Perfectus vero circulus eſt, quando ſic utramque propoſitionem oſtendimus per alteram converſam & concluſionem: quare non poteſt habere locum, niſi ubi termini ſunt æquales & convertibiles, nec datur niſi in ſolo primo modo primæ Figuræ, qui dicitur BARBARA, in quo docet Ariſtoteles fieri ſex ad ſummum Syllogiſmos, ex eiſdem tribus terminis abſolutiſſimum Circulum (ſed ἀναλογικῶς hic intelligendum) facientes? facto enim primo Syllogiſmo, tres Enunciationes proponuntur,

ponuntur, id eſt, Concluſio, & duæ propoſitiones: atque aliæ tres, harum trium converſæ, quæ omnes per ſex Syllogiſmos demonſtrantur. Ex quibus ut poteſt confici Circulus Formalis, ita in nullo alio Modo, ne quidem primæ Figuræ, Circulus perfectus confici poteſt: imo nec in *Dvrij*, quoniam ex Concluſione, & Minore particularibus, non poteſt colligi Major Univerſalis. Ut vero Circulus hic formalis, ex accidenti contingit, quòd Propoſitiones Univerſales ratione ſubjecti & prædicati adæquatæ, quaſi ſimpliciter ſint convertibiles; ita argumentatio Circularis, ut vitioſa, potiſſimum conſiderari ſolet ratione materiæ, atque Logici, occaſione Demonſtrationis, Circulum vitioſam argumentationem cenſent. Nec tamen omnis Circulus vitioſus eſt: duplex enim datur, unus eſt *uniformis*, qui dicitur proprie & ſpeciatim circulus, atque tum notari poteſt, quando prioris Syllogiſmi principia, eodem modo ad Concluſionem ſe habent, atq; poſterioris: ut ſi prior progrediatur à prioribus ſecundum nos, poſterior quoque progrediatur. Alter circulus *non uniformis*, vulgò dicitur regreſſus: notaturque, cum unus Syllogiſmus progreditur à notioribus ſecundum ſe, alter à notioribus ſecundum nos, V.C. Si prior Syllogiſmus progrediatur à rationali ad riſibile, & poſterior, à riſibili ad rationale. Talis progreſſus, reciprocus, ſive *Regreſſus*, licet Circuli

nomen

nomen quoque ferat, argui tamen non poteſt; ſed potius ſervit Syllogiſmi Demonſtrativi confirmationi. Quum altero *circulo*, ſive, circulo propriè dicto, *impoſſibile ſit aliquid demonſtrare ſimpliciter*, ut Ariſtoteles concludit lib. 1. Poſt. Analyt. Cont. 22. Ad quæ ita commentatur Zabarella: *Hic videre poſſumus* (inquit) *Ariſtotelem circulum quidem reprobare, ſed regreſſum admittere; eſt enim regreſſus, quando alter proceſſus eſt à notioribus, & prioribus nobis tantum, poſterioribus autem, & ignotioribus ſecundum naturam, quæ eſt demonſtratio ab effectu: alter verò à notioribus & prioribus ſecundum naturam, quæ eſt demonſtratio potiſſima: ſed circulus eſt, quando uterque proceſſus ponitur eſſe potiſſima demonſtratio, qui omnino impoſſibilis eſt, ut hæc Ariſtotelis ratio demonſtrat.* Quæ ut præmittere volui, quô patere poſſet, quàm imperitus Zuickerus ſit τῦ τρόπυ παιδείας; ita certum eſt, in Theologia non occurrere (minime in doctrina de Deo) Demonſtrationes cauſales, ſeu τῦ διότι: licet tamen, pro noſtro concipiendi modo, in ipſa Doctrina de Deo locum habeat Demonſtratio τῦ ὅτι: quum enim attributa Dei concipiamus tanquam illius proprietates, quaſi ab illo emanantes; illæque ſint ipſa Dei eſſentia, convenienter, tum ſecundum Dei naturam, tum ſecundum præcepta Logica de Demonſtratione, ex attributis Divinis inferre poſſumus ſubjectum quaſi illorum, (loquor juxta noſtram concipiendi rationem) ſive τὸ eſſe

Dei.

Dei. Adeoque legitima eſt hæc illatio, & Demonſtratio τῦ ὅτι: *Quicunque eſt æternus, ille eſt verus Deus, Chriſtus eſt æternus*, Ergo *Chriſtus eſt verus Deus*: atque eodem modo argumentatur ipſe Chriſtus adverſus Judæos Joan. 8. 58. quem locum licet Sociniani laborent detorquere in ſenſum ſequiorem (ut ſupra quoque annotavimus) inſtituto tamen Orthodoxorum apprime ſervit, atque modum argumentandi, de quo agimus, legitimum eſſe oſtendit. Longe vero rectius intellexerunt illum Judæi, quam ad detorquendas Scripturas facti Sociniani: quod enim colligerent, Chriſtum, ſe adæquare Deo æterno, cum diceret: *Amen amen dico vobis, priuſquam Abrahamus exiſteret, ego ſum.* verſ. 59. *Suſtulerunt lapides, ut jacerent in eum.* Quomodo idem quoque moliti fuerunt eadem de cauſſa, Joan. 10. verſ. 30. & 31. & ilico addunt: *Ob bonum opus non lapidamus te, ſed ob blaſphemiam, id eſt, quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum*, verſ. 33. Nec eſt circulus proprie dictus (ut ſomniat Zuickerus) quando, cum initio ſic argumentatus fuiſſem: *Quicquid eſt Ens æternum illud eſt Deus*: iterum ſic procedo: *Quodcunque ens eſt Deus, illud eſt æternum*: Nam, cum Deum non queamus concipere, ut eſt; ſive intimè & formaliter ſecundum ſuam eſſentiam; ſed juxta noſtrum concipiendi modum, atque caligantes intellectus oculos, pro hoc noſtro concipiendi modo eum concipimus, modò quaſi à

poſteriori

poſteriori, ſecundum meum concipiendi modum, quando ita infero: *Quicquid eſt Ens æternum, illud eſt Deus*: vice verſa, à priori videor progredi, quando dico: *Quodcunque Ens eſt Deus, illud eſt æternum*. Talis autem argumentandi modus non eſt Circulus proprie, ſed inproprie dictus, ſive, regreſſus, quem licitum eſſe modo patuit. *Tertio* fruſtra quoque Zuickerus eſt, quando contendit, quæ origine priora ſunt, tempore quoque priora eſſe: Cum certum ſit ſolem natura priorem eſſe luce, non tamen tempore. Quandoquidem ſine luce nunquam fuit, &, quo momento exiſtere cœpit, pariter lucidus apparuerit: quod tamen lux dependentiam ab ipſo habeat, non verò ipſe à luce, convenienter hic ſtatuitur eſſe prior, & quidem natura: quòd ſi vero aliquid poſſit eſſe prius natura, non tamen pariter prius tempore, multo minus quod eſt prius origine, tempore quoque prius erit. Quando vero in Divinis perſonis attenditur *prioritas originis*, proprie accipi debet, & prout diſtinguitur à prioritate temporis & naturæ, quia latius patet. Præterea, aliud eſt agere de prioritate eſſentiæ, quæ in Divinis neutiquam agnoſci poteſt; aliud de origine perſonarum. Filius & Spiritus Sanctus perſonæ duntaxat originem habent; ille generatione, hic proceſſione æterna, neuter eſſentiâ. Pie Hilarius lib. 12. de Trinitate, circa finem, in alloquio ad Deum Patrem de Deo Filio:

lio: *Poſt te* (inquit) *ita confitendus, ut tecum; quia æterna originis ſua es auctor æternus. Nam dum ex te eſt, ſecundus à te eſt; dum verò tunc eſt, non ſeparandus à te eſt; quia nec ſine tuo eſſe fuiſſe confitendus aliquando eſt, ne aut imperfectus ſine generatione, aut ſuperfluus poſt generationem, arguaris.* Poſtremo, Sycophantice agit Zuickerus, quando Comenij & Orthodoxorum argumentum componit cum argumento inepti Anthropomorphitæ. Nam quamvis *Deum* eſſe, & *æternum* eſſe (æternitate ſcil. proprie conſiderata) habeant ſeſe reciproce quod ad convertentiam, non habent tamen ſe reciproce quod ad rationem concipiendi ſecundum nos: concipimus enim Deum velut ſubjectum: *æternum* vero eſſe; tanquam proprium incommunicabile: adeoque, juxta illa, quæ antea diximus, convenienter, atque citra circulum, argumentando progredimur à τῷ *æternum* eſſe, ad Deum: ſimul rectè inferimus, *æternum* illum eſſe, quem toties Scriptura Deum vocat, atque, cui præter Eſſentiale Dei nomen omnia quoque Dei attributa, & actiones, nulli creaturæ, nequidem angelis communicabiles, attribuit. Et hæc quoque dicta ſufficiant ad dictam Zuickeri Sycophantiam: non meretur enim nomen ſive argumenti, ſive reſponſionis ad argumentum. Utinam verò Deus huic homini meliorem mentem, & illuminatos oculos intellectus largiatur! Varios ipſius libellos, certe blaſphemos, & præjudicioſos

gloriæ

gloriæ Jeſu Chriſti, Dei veri & æterni, legi: circa quos cum ſibi admodum placeat, cogitavi illud Epiphanij Hæreſ. 80. *Nec impudentia ſatiari, nec expleri ſtultitia poteſt.* Deus ipſe cauſſam ſuam agat, atque eruditos ſerioſque vindices exiſtimationis ſui Filij cælitus excitet. Interea præcellentiſſimæ Trinitati, Deo Patri, Deo Filio cum Patre æterno Deo, & Deo Spiritui Sancto, quod ad eſſentiam æquali Patri & Filio, & cum utroque uni Deo; ſit indiviſim omnis laus, omnis honor, omnis gloria, omne imperium, in ſecula ſeculorum, AMEN.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Syllabus Erratorum.

Quod errata plura irrepſerint, rogatur benivolus Lector, eminentiora, quæ mihi ſe obtulerunt, ex hoc Syllabo reſtituere, reliqua verò pro ſua humanitate condonare dignetur.

PAg. 4. *lin.* 18. *leg.* φῆσις. 7. 24. ἀνθιφάσεως. 11. 15. admiratiores. 13. 23. putatur. 14. 7. Contradictorijs. 15. 10. ſiderari. 17. *penult.* Adeoque. 20. 13. Subſtantiæ. *ibid.* 20. Logici. *ibid.* 21. propoſiti. 21. 16. doceant. *ib. penult.* Ariſtoteles. 23. 18. propter. 25. 23. ſent. 28. 24. Phyſica. 55. 9. ſi. 56. 15. ſimpliciſſimum. 59. 16. glorifica *ibid.* 18. ſum. *ib.* 21. *poſt.* dicitur *adde* neque. *ib.* 26. obtuliſſe. 60. 9. efficace. *ib.* 14. renum. *ib.* 17. Divinitate. 61. 2. tribuuntur. *ib.* 14. ſpeciatim *ib.* 17. *pro* audita *leg.* creata. *ib. poſt.* omnia *dele*, 62. 6. *dele.* ſunt. 68. 9. exactiſſimam. *ib. ult.* probrat. 69. 1. *poſt.* mittit, *adde* ſi. *ib.* 5. *poſt.* negat, *adde* cum. 72. 1. controverſam. 76. 3. verecundatur. *ib.* 22. parellelo. 89. 3. caruiſſet. *ib.* 8. vitam. 90. 20. potentia. 91. 3. ὑποςατικῶς. 94. 12. petulanter. 96. 3. Chriſti. 103. 22. pretium. 117. 17. *dele* hoc. 126. 9. ob. 131. 23. haud. 135. 10. propoſitæ. 137. 14. Logice. 152. 11. *pro* affirmari *lege* accipi. 159. 17. *poſt* ſummum *adde* &c. 163. *penult.* petulanter 167. 2. referre. 169. 22. ferer. 127. 15. alteram. 173. 19. & 20. ſi inquias. 176. 7. petere.

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3